












F. PII-THOMAE
M I L A N T E

S.Theologiae Magistri Ordinis Praedicatorum
EPISCOPI STABIENSIS
Regii Consiliarii &c.

D E

VIRIS INLUSTRIBUS

Congregationis S. Mariae Sanitatis
Ejusdem Ordinis.

L I B R I T R E S.






N E A P O L I MDCCXLV.
EX TYPOGRAPHIA MUTIANA.
SUPERIORUM PERMISSU.



INLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. STEPHANO
DE MARINI
STRIANENSIUM PRINCIPI.

F. PIUS-THOMAS EPISCOPUS STABIENSIS
F. P. D.



T eam, quam corde fovebam, obſervantiam erga Tuam Perſonam, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, publico, aeternoque monumento manifeſtam faceremcunctis, ſedulo ſerioque perpendi quidnam opportunum foret ad eam rem pro debito exſequendam; praeſertim quia haud immemor humanitatis Tuae, Tuaeque erga me bene-

 ficentiae,

ficentiae , in grati animi argumentum ad eundem persolvendum censum vehementer urgebar. At ubi animo deliberavi praesens elucubratum opusculum edere in vulgus , tunc quoque menti occurrit , eo nuncupato EXCELLENTIAE TUAE , posse praefatae Clientelae meae tesseram erga tantum Patronum facillime contestari : non opusculi quidem pensata mole , non Authoris labore perpenso , sed operis argumento bene librato : ex quo , dum TUAE, TUAEQUE EXCELLENTISSIMAE FAMILIAE gloria commemorata refulget , meae pariter devotionis pignus praestatur . Percensentur quippe in eo Acta Virorum inlustrium Congregationis S. Mariae Sanitatis, cui a pueritia nomen dedi, & ex qua aetate maturus, immeritus licet, ad Stabienses Infulas fui promotus . Quid ergo mihi carius , Tibique magis volupe , quam cordis mei pignus, idque praeclarum ? Ordinis Praedicatorum alumni sunt quotquot inlustres commemorati viri ex laudata Congregatione prodierunt , quae , etsi parva, haud ignobilis est portio Ordinis ejusdem. Verum cuinam aptius congruit Tractatus iste , nisi Principi de MARINORUM Familia Clarissimo, ex qua insignes in Ordine Praedicatorum effloruere Viri; unde MARINORUM gloria magis magisque refulget ? Haud certe me latet quanto claritatis honore , quove nobilitatis corusco , totum , qua late patet , per Orbem emicet Familia Tua , sive praesens ejus Status perpendatur , sive avitum Majorum Tuorum nobile germen recte pensetur.

ſetur. Et nonne traditum ab Clariſſimis Scriptoribus (*a*) habemus MARINORUM Familiam ab antiquis retro temporibus in ea Africae Provincia, quae Mauritania dicitur, ſupremae Dynaſtiae gloria effulſiſſe priuſquam Mahumedana tyrannis, ac ſuperſtitio Africae populis dominaretur? Propterea, inquiunt, MAURINORUM fuiſſe dictam Familiam MARINORUM, quia ex ea Fezzae, ac Marochii nonnulli effloruere Reges, qui Chriſti fidem, & gloriam propagarunt, & ideo glorioſi Reges, quia vindices Chriſtianae Religionis. Indubium eſt itidem, omnibuſque apprime notum ipſiſſimam Tuam Familiam, quae impraeſentiarum Neapolitanis Patriciis adgregata inter Genuenſes inluſtriores emicat, ac Magnatibus Hiſpaniarum Primae Claſſis adlecta reſulget, eam eſſe, quae primitus imperante Theodoſio III. hortatu S. Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi, ad Catholicam fidem firmiter ſancteque cuſtodiendam, e Germania, ubi vetuſta clariſſima nobilitate, atque opima facultate potiebatur, ſimul cum aliis pariter conſpicuis familiis Italiam veniens, Genuae ſuos fixit lares, ibique tot aluit Heroës, quot numeravit alumnos; omnique tempore, ſive Tetrarchiam, ſive praenobilem in ea Rempublicam

(a) *Franciſcus Sanſovino* Lib. de diverſi Regni, e Provincie. *Aloyſius Juglaris S. J.* Orat. recit. Ann. 1641. in laudem Johannis Angeli de Marinis tunc Ducis Genuenſis Reipublicae. *Ex Epiſtola nuncupatoria Thomae de Marinis Marchioni Caſalis Majoris, & a Secretis Conſiliis Carolo V. Caeſari edita Mediolani VII. Junii 1556. praepoſita libro cui Titulus*: Lettere di XIII. Uomini illuſtri. *Vide etiam Blaſium Altimare* Memorie Iſtoriche di diverſe famiglie nobili Napoletane, e Foraſtiere.

blicam ſpectes, gloriae fama praeluxit. Et dum ibi una ex XXIII. clarioribus effecta ſex alias protulit familias, velut ſex clariſſimos rivulos ex hoc limpidiſſimo fonte promanantes, innumeros dedit viros armis decoratos, & togis, aliiſque muneribus diſtinctos, inſignitos, Conſules, nimirum, Praefectos maritimae Claſſis, & Reipublicae Duces. Utque clarius ſuos diffunderet radios, nedum in laudata Genuenſi Republica, verum & in Regno noſtro, Alma Urbe, ac Italia tota tot inſignes, qui ibidem efflorerent, Viros protulit omni dignitatis charactere redimitos, feudis, praefecturis, ac muneribus honorificis decoratos, quot fere littus adunat arenas, quos omnes ſat eſt indigitaſſe, cum eos plene deſcribant nedum de rebus patriis agentes, verum & univerſim Italici Scriptores, e quibus unum laudaſſe ſufficiat Cl. Matthaeum AEgyptium Neapolitanum Regiae Bibliothecae Cuſtodem, in re antiquaria eruditiſſimum, ac omnigena eruditione refertum, Urbi noſtrae nedum, verum, & Orbi univerſo apprime notum, qui plures ex eiſdem non ſine gloria percenſet. (*a*)

Hoſce, inquam, inluſtres MARINORUM Familiae Viros bene novi, novi inſuper, & alios ex eadem Eccleſiaſticis honoribus inſignitos, Infulis nedum, ſed & Purpura decoratos, (ut ſilentio praeteream Ordinum Militarium Heroas, praeſertim Hyeroſolimitanos Equites) quos inter emicat re, & titulo

Emi-

(a) *AEgyptius* Epiſtol. Dedicator. Chronologicum &c. *praefixa Libro cui Titulus*, Memoriale

Eminentissimus Cardinalis Carolus de Marinis feliciter vivens, ac Sacrae Congregationis Rituum Praefectus: ex quibus omnibus EXCELLENTIAE TUAE haud mediocris gloria adsurgit. Adsurgit insuper magis ex praeclarissimo Genitore tuo Marchione Gentiani, Hispaniarum primae Classis Magnate, Principe Palatii, ac S. Gervasii, utili Domino Ceppiti &c. Spectabili proculdubio Viro, probitate insigni, rectitudine, ac justitia, prudentia non vulgari, ac in gravioribus negotiis pertractandis magna dexteritate pollente. Adsurgit tandem gloria ex spectata nobilitate CAJETANORUM Tibi adscita selecta Conjuge ex eadem Casertensium Principum domo, Tibique virtute pari. Verum quia haec omnia, & alia insuper, quae addere possem, etsi laude, & gloriosa commemoratione digna, extranea sunt argumento mei operis, ut eo redeam, unde discessi, oportet.

Et quidem quemnam hominum latet Praedicatorum Ordinem ex MARINORUM alumnis nimium, nimiumque fuisse decoratum, sive sanctimoniam, sive scientiam, sive etiam ex muneribus dignitatem, adhuc per transennam, miretur? Fere compendii loco vel unus sufficere posset F. Johannes Baptista de Marinis (quum omnes heic laudare sit longum nimis trahere funem) Hic enim quum eximia virtute polleret, post exantlata in Ordine sui ingenii monumenta, ex quibus pro merito fuit Theologali laurea insignitus, a Summo Pontifice fuit Sacrae Congregationis *Indicis* Secretarius declaratus. Quum autem eo in

munere

munere Regularis obſervantiae, ſcientiae, prudentiae, omniumque virtutum ſe ſpecimen exhibuiſſet, dignum ſe reddidit, qui ad Magiſterium Generale Ordinis Praedicatorum, in Generalibus Comitiis Romae habitis, Capitularium conſenſione (quod rarum omnino eſt) promoveretur. Tantaque caritate ac prudentia, talique Zelo ſecundum ſcientiam fervente Ordinem rexit, ut uſque ad praeſentem diem in Ordine Praedicatorum in benedictione ſit nomen ejus; quinimmo, & cum laude per Orbem reboet fama tanti viri de litteraria Republica optime meriti (*a*), cui etiam ſe nimium obſtrictam profitetur Congregatio S. Mariae Sanitatis ab eo ceu cariſſima filia nimium dilecta, ex qua in Socium ſibi, & in Provincialem Terrae Sanctae N. Gregorium de Areylza delegit. At nequis me exiſtimet iccirco compendii loco unum ſolummodo laudaſſe, ut, veluti fucum veritati faciendo, in uno ceteros, qui non eluxerunt, commemorarem, urgeor aliis, vel digito monſtratis, paucos ſubnectere, ex quibus quantam Ordo Noſter obtinuerit famam manifeſte ſciatur. Et nonne ex eadem Cl. MARINORUM Familia emicuit F. Thomas ille (germanus frater N. Dominici, quem protinus commendabo) inſignis Sac. Theologiae Magiſter, qui ſub Auguſtino Galaminio Magiſtro Ordinis Secretarius Capituli Generalis Romae coacti, inſtitutus deinde fuit Prior Provincialis Terrae Sanctae, & poſtremum utriuſque Siciliae

(a) *Ex Chronico Magiſtrorum Ord. Praedicatorum, ex Jacobo Echardo infra laudando; & aliis.*

ciliae Vicarius Generalis ? (*a*) Ex Tua, inquam, Familia, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, prodiit claruitque nimium in Ordine Praedicatorum nuper indigitatus S. Theologiae Magister F. Dominicus, qui post varia exercita in eodem Ordine, nec sine laude, munia, ab Innocentio X. Romano Pontifice primum renunciatus Totius Ordinis Vicarius Generalis, deinde ab eodem Summo Hierarcha creatus Archiepiscopus Avenionensis, & sancta jura in Grege sibi commisso promovit, firmavitque, & Ecclesiasticam disciplinam juxta Sacrosanctae Ecclesiae Canones sartam tectam servandam curavit; necnon Avenionensem Academiam languentem erexit, ac in pristinum restituit decorem, duabus eidem adnexis cathedris Theologicis, quas Ordini nostro addixit, ut SS. Augustini, & Thomae doctrina ibidem semper superior foret, ac dominaretur: utque latius suae doctrinae radios diffunderet, qui velut Sol effulsit in Templo Dei, sui ingenii monumenta, eaque pluribus comprehensa voluminibus, publici juris fecit: quae cum universim ab eruditis commendentur, summopere tamen a Johanne-Paulo Oliva Praeposito Generali Societatis Jesu commendata fuerunt. (*b*) Ex MARINORUM eadem familia (ut tandem dicendi finem faciam, ne tanquam morosus ab aliis carpar) prodiit vir ille

b re-

(a) *Jacobus Echard* Scriptores Ordinis Praedicatorum T. II.

(b) *Johannes Michaël Cavalerius* Galleria Domenicana, *Jacobus Echard* Scriptores Ordinis Praedicatorum Tom. II. *Antoninus Bremondt* Bullar. Ordin. Praedicat. *Hyacinthus Amat de Graveson* Hist. Eccles. Saec. XVII. & alii plures.

revera conſpicuus, cui, ut ſimilem producant, laborabunt Saecula, Leonardus, inquam, DE MARINIS, tanta virtute clarus, tantaque probitate egregius, in arduis negotiis dexteritate pollens, ut purpuram nedum, verum, & ſupremam thiaram ſibi promeruerit (eſto ad nobiliores in Coelo ſibi paratos triumphos reſervatus, ad eam in terris haud pervenerit gloriam), quum vel eminus intueri talem tantumque Virum ſit in eo demirari virtutis faſtigium, & Eccleſiaſtici Ordinis decorem. Hic enim, qui primitus in Ordine Praedicatorum inſignis Sac. Theologiae Magiſter enituit, a Paulo III. Romano Pontifice Peruſini Epiſcopi coadjutor deſignatus, deinde a Julio III. SS. P. Laodicenſis Archiepiſcopus inauguratus, ac Mantuanae Eccleſiae adminiſter, & ſuffraganeus Herculis Cardinalis Gonzagae Epiſcopi Pro-Regiſque tum Guillelmi Nepotis ac pueri, glorioſe ſuum munus obivit: heinc ab eodem Romano Pontifice Apoſtolicus Nuncius ad Carolum V. in Hiſpaniam miſſus, ac in eodem munere a Marcello II. confirmatus, variis ea in Legatione devoratis anguſtiis, exagitationibuſque, tanta prudentia Eccleſiae negotia pertractavit, ut tandem ad virtutis ſuae teſtimonium Philippus II. Hiſpaniarum Rex, & Paulus IV. Romanus Pontifex eum ſummopere commendarint. Neque heic ejus gloriae finis, ex qua erat ei purpura pro merito conferenda, ſed properante laudato Paulo IV. ad mortem debitum praemium non fuit ei conlatum. Ut Orthodoxam Religionem, ac Romanam Eccleſiam a Nova-

torum

torum calumniis vindicaret Fidei hyperaspistes, ementito mercatoris habitu Genevam secedens, cum Johanne Calvino, Theodoro Beza, & Petro Vireto saepius congressus habuit, in quibus non semel devictis haereseos primipilis patronis, etsi non conversis perduellibus, in Urbem rediit, & tunc ab eodem Philippo II. nominatus Episcopus Lancianensis in Aprutio, & a Pio IV. institutus illius gregis Pastor, ut eadem Ecclesia in Metropoliticam eveheretur obtinuit, primusque fuit, qui ex Episcopo Archiepiscopus Lancianensis crearetur, & summus, qui eidem Ecclesiae pacem adferret, plurimis, quae tunc ibidem flagrabant, jurgiis, ac discordiis averruncatis. Quid ultra? Ad Concilium Tridentinum missus, dum ibi inter Primores laudatae Synodi Patres doctrina, & zelo enituit, pariformiter, ut Oecumenici Concilii decreta servarentur, nimium insudavit: quare ad mentem ejusdem Concilii Catechismum Romanum, adscitis eidem in socios Nostris Aegidio Fuscarino Episcopo Mutinensi, & Francisco Forerio, ex supremo mandato concinnavit ediditque. Soluta Synodo, dum ad suam Ecclesiam redire optabat, a Pio IV. ad Imperatorem Maximilianum II. cum potestate Legati pro rebus Concilii, arduisque Christianae Reipublicae negotiis Apostolicus Nuncius missus, quam clare suum obierit munus ex historia cum Sacra, tum Civili clarescit. At dum sibi vivere, & Ecclesiam scriptis vindicare ab haereticorum calumniis, misso nuncio Lancianensi Ecclesiae, satagit, a SS. Pontifice Pio V.

ad Albanensem Ecclesiam translatus, & super XXV. Episcopatus Apostolicus Visitator institutus, tanto zelo tanta prudentia demandatam sibi spartam fuit exsecutus, ut propterea nimium carus fuerit S. Carolo Borromaeo. Tandem a Gregorio XIII. R. P. in Hispaniam ad Philippum II. nova Legatione, & in Lusitaniam ad Sebastianum Regem pro renovando contra Turcas foedere Apostolicus Nuncius missus, expleta, non sine gloria, Legatione, jam jam purpura decorandus, ac ad eandem destinatus, altero post reditum in Urbem die sanctissime obdormivit in Domino eximius Vir de Litteraria Republica, ac de S. Romana Ecclesia optime meritus (*a*).

Quum igitur talis tantaque gloria Praedicatorum Ordini ex MARINORUM eximiis Viris adcesserit, nonne EXCELLENTIAE TUAE aptissime nuncupandum erat opus inscriptum de Viris Inlustribus Congregationis S. Mariae Sanitatis? Dubio procul, & jure summo, ut Familiae Tuae gloria ex horumce Actis adcrescat, ex qua tot gloriosi prodiere Viri, qui laudatum Ordinem inlustrarunt, ut juxta Ecclesiastem: (*b*) *Ad locum, unde exeunt flumina, revertantur*. Et eo quidem potiori momento, quia horumce, sicut & illorum, virtutem, & acta imitatus, illos in Te, velut in speculo refulgentes

tes

(a) *Cardinalis Sfortia Pallavicinus* Histor. Concil. Trident. Lib. XVII. num. 7. usque ad 13. & 60. usq; ad 66. & 110. &c. *Natalis Alexander* Histor. Ecclesiastic. Saec. XVI. *Ferdinandus Ughellius* Italia Sacra in Lancianensi, *Vincentius Fontana* Theatrum Dominicanum, *Echardus*, *Gravesonius*, *Cavalerius*, *Bremondt*, ubi supra, & *alii plures*.

(b) *Ecclesiastae* Cap. 1. v. 7.

tes , defers , omnium in Te imaginem exprimis . Mentis tuae aciem nobileque talentum bene noverunt , qui tecum conversati tuum in scientiis progressum demirari potuerunt . Animi tui dotes , ac Christiana Ethice quemnam latere possunt , quum sint propatulae cunctis ? Etsi in Claustro non degis , Claustralem tamen virtutem in Saeculo retines , qui , tuorum exsecutus jussa Majorum , Nobilitatem Status asceticae vitae miro foedere sociasti: Heinc qui Christiana virtute emicas, *Regale Sacerdotium* illud , quod dixit Apostolorum Princeps (*a*), Baptismum , nempe , ut una voce Patres Ecclesiae fatentur , (*b*) & Hieronymus, brevi complexus elogio , *Sacerdotium Laïci* adpellavit (*c*), glorificas sancta observantia legum , nobilique , quod aliis praestas, bene vivendi exemplo . Episcopali non es charactere insignitus : At dum Religionem promovere satagis ; pauperes misericordiae sinu excipis ; Orphanis, & Pupillis es factus adjutor ; dum Viduis , egenisque cunctis manu ope consilio subvenis: Dum tibi subjectos paterna caritate complecteris , dum humilitatem animo fovens Status gloriam non dejicis ; dum publicis addictus ministeriis, pro Deo , pro Rege , & pro Lege constanter dimicas , Divina simul , & humana jura invicta constantia vindicans ; dum nullo favore motus , passione nulla distractus ,

quod

(a) *I. S.Petri Cap.11. v.9.*

(b) *Vide praeceteris Origenem* Homil. IX. in Cap. XVI. Levitici *S. Augustinum* Lib. XX. de Civit. Dei Cap. V. *S. Leonem M.* Serm. III. in die anniversar.ad Pontific.adsumtion. *& alios apud Polemicos Tractatores.*

(c) *S. Hieronymus* Dialogo contra Luciferianos .

quod rectum, quod sanctum est, agendum decernis: Dum Ecclesiarum nitorem, Sacerdotum decorem, Ecclesiasticorumque omnium honorem zelo promoves, atque conservas: Dum haec, inquam, aliaque id genus innumera exantlas pietatis, Religionis, caritatis, omniumque virtutum opera, quae viritim enunciare fas mihi non est impraesentiarum, quum ea effari mihi vetet modestia Tua; & quia itidem enarrare, quae cunctis patent, faces sit addere Soli, nonne *extra Ecclesiam Episcopus es*, qui eorum, quae ad Dei gloriam spectant, sed *extra Ecclesiam geruntur*, exsecutionem promoves, & constanti pectore firmas? Hoc utique sententia sua, quam Eusebius Caesariensis commendat, (a) in I. Nicaena Synodo coram Patribus illis conspicuis Constantinus Magnus edixit. (b)

Quod autem tot ex momentis est Tibi debitum, Tibique propterea sacrandum, ut benigne excipias, enixe rogo PRINCEPS EXCELLENTISSIME, Maecenas optime, & singularis Patrone, in eoque me ipsum excipe multifariam devinctum. Minima quidem haec est meae observantiae tessera, leve est debiti mei grati animi argumentum, quod in brevi opusculo exprimitur, at obstrictissimi cordis monimentum, quod certe tua non dedignabitur Clementia, quae Authorem summa prosequitur dilectione. Vale in Aevum. Ex Episcopio Stabiensi.

(a) *Eusebius Caesariensis* Lib.IV. de Vita Constantini Cap.XXIV.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Gennaro, e Vincenzo Muzio pubblici Padroni di Stampa in questa Fedelissima Città, supplicando espongono all' Emin. Vostra, come desiderano dare alle stampe un' Opera intitolata: *De Viris Inlustribus Congregationis S. Mariae Sanitatis; composta dall'Illustriss., e Reverendiss. Monsignor Milante Vescovo di Castellammare*. Per tanto supplicano l' Emin. Vostra a commetterne la revisione, e l'averanno a grazia, ut Deus.

Dominus D. Marcellus Cusanus in Regia Studiorum Universitate Antecessor revideat, & referat. Datum Neapoli hac die 5. Novembris 1744.

CARMINUS CIOFFI EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

Julius Tornus Can. Dep.

Jussu E. T. legi librum, cui titulus, *De Viris Inlustribus S. M. Sanitatis, auctore Illustriss., & Reverendiss. Episcopo Milante*. In eo nihil exstat, quod Catholicae, Apostolicaeque Fidei refragetur, immo doctissimus Author plures SS. Patres imitatus, & praesertim B. Hieronymum, in eo reposuit, quae lectorum animos tum ad veram pietatem, tum ad bonas literas amplexandas allicere possunt: ideo typis publicari posse censeo, si ita E.T. videbitur. Neapoli III. Idus Septembris CIƆIƆCCXLV.

Addictissimus Famulus

Marcellus Papinianus Cusanus Regius Primarius Antecessor.

Attenta relatione Domini Revisoris Imprimatur. Datum Neapoli hac die 17. Julii 1745.

CARMINUS CIOFFI EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

Julius Tornus Can. Dep.

ECCEL-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

GEnnaro, e Vincenzo Muzio pubblici Padroni di Stampa in questa Fedelissima Città, supplicando espongono all' Eccellenza Vostra, come desiderano dare alle stampe un' Opera intitolata: *De Viris Inlustribus Congregationis S. Mariae Sanitatis; composta dall'Illustriss., e Reverendiss. Monsignor Milante Vescovo di Castellammare*; Per tanto supplicano l' Ecc. Vostra a commetterne la revisione, e l'averanno a grazia ut Deus.

Adm. Rev. P. Cherubinus Pellegrino Professor Theologiae Dogmaticae in hac Regia Studiorum Universitate videat, & in scriptis referat die 6. mensis Novembris 1744.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUTEOL. CAP. MAJ

EXCELLENTISSIME DOMINE.

LIbrum, cui titulus: *De Viris Inlustribus*, *&c.* a doctissimo Viro F. Pio-Thoma Milante Ord. Praedic. Episcopo Stabiense, elucubrarum, sedulo, Te mandante, versavi. Opus profecto mole exiguum, eruditione maximum, elegantia demirandum: Quippe quum ejus Cl. Viri nomen praeferat, qui Theologicae Facultatis in Neapolitana Studiorum Universitate olim Primarius Antecessor, quique inter Theologos Regiae Majestatis adlectus, tantam ex operibus, quæ publici juris fecit, sibi laudem adscivit, ut valde eum suspexerint aevi nostri Scriptores, praesertim Florentini, & Trivultini, quibus colophonem addidit Supremus Ecclesiae Hierarcha Benedictus XIV. qui gemina epistola ad Auctorem data, ejus doctrinam commendavit. Neque procul abfuit Regis nostri munificentia, qui tanti Viri indulgens merito, eum omnium plausu ad Stabiensem Ecclesiam evexit. Quare opus Regiis juribus neutiquam adversum, & Christianae Reipublicae valde profuturum, in lucem edi posse censeo. Neapoli ex AEdibus S. Dominici Majoris Kalendis Decembris Epochae Dionysianae Anno MDCCXLIV.

Humillimus, Addictissimus, & Obsequentissimus Famulus
F. Cherubinus Pellegrino Ord.Praed. Regius S.Th. Professor.

Die 12. mensis Octobris 1745. Neap.

Viso rescripto S. R. M. sub die nona currentis mensis & anni, ac approbatione facta ordine præfatæ M. S. de commissione Reverendi Regii Capellani Majoris;

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, & approbationis dicti Revisoris; Et in publicatione servetur Regia Pragmatica.

MAGIOCCO. DANZA. CASTAGNOLA. FRAGGIANNI.

Illustris Marchio de Ippolito Præses S. R. C.

Registrata in registro Regalis Jurisdictionis fol.
Larocca.

BENEVOLO LECTORI.



IRABERIS ſane, nec abs re, Candide Lector, quod ea impraeſentiarum evulgem, quae nunquam edenda ſpopondi, quaeque vero danda promiſi, nec eminus ſalutaverim. Verum mirari deſines ſi cauſſam adtenderis, & rem totam recta lance librandam ſuſceperis circumſtantiis omnibus bene penſatis, quibus tractatum hunc adſumſerim perficiendum. Optabam quidem, & ardenter nimis, mori in nidulo meo, & quos dediſſet mihi D. O. M. dies in Religione, quam profeſſus fui, laetanter percurrere, ac quiete conſumere in cathedris regendis, ſtudiiſque cameralibus diu noctuque protrahendis; & uti jam coeperam, pluribuſque annis (variis eſto detentus curis, ſeriiſque negotiis Superiorum mandato deditus & occupatus) peregeram, ad mortem uſque eandem vitae rationem tenere ſtatueram: quare quod ſpoponderam adimplere me poſſe dubio procul exiſtimabam: heinc poſt evulgatam N. Xyſti Senenſis Bibliothecam Sanctam criticis ac Theologicis animadverſionibus adauctam & inluſtratam protinus ad Exegeticas, Critico-Hiſtoricas, Polemicas, aliaſque id genus diſſertationes, ut fas mihi erat, animum & manum adplicare decreveram. Sed quia quod in votis mihi erat divino haud fuerat decreto firmatum, propoſitum exſecutioni mandare nequivi, & dum adhuc inſudabam, improboque labore detentus incumbebam abſolvendo copioſo ejuſdem operis Xyſtini indici actutum edendo, ad Stabienſes Inſulas fui delectus, eaſque declinare mihi non licuit ſupremo obſtrictus praecepto, quod nunquam optaveram adceptare fui coa-

ctus, e tabula manum ad tempus retrahere & studiis vale dicere debui, exoptans tamen, nec immutato proposito in votis habens post sacram inaugurationem, omnibusque absolutis, quae vario ex momento peragenda erant, ac fixis in commissa mihi Ecclesia laribus ibidem rem totam animo conceptam absolvere (haud tamen omissa cura Gregis, quem mihi Spiritus Sanctus regendum concredidit) & praecipue quia, ut rem hanc ad umbelicum perducerem venerando suo mandato palam in Sacro Consistorio injunxerat mihi SS. Pontifex Benedictus XIII. Verum quia non ita cito, ut existimabam, Roma discedere licuit, protractis in eadem Urbe duobus solidis mensibus, nec e postliminio redux protinus, ut optabam, potui ad propriam Dioecesim commigrare, aëris immutatione adhuc perdurante aestivo tempore, aliisque necessitatibus detentus, ne vel succisivae horae penitus evolarent nullo studio decoratae, dum in Originario meo Conventu S. Spiritus ad Palatium commorarer, aliquid juxta consuetam mihi vivendi methodum agendum proposui; cumque mente revolverem quid facile mihi foret eo tempore, postmodum licet perficiendum, adsumere, in mentem venit, quod nunc plene absolutum, edo opusculum *De Viris inlustribus Congregationis S. Mariae Sanitatis*; idque vel ex eo lubentissime adsumendum duxi, ut nimirum tesseram meae observantiae, monumentum ac argumentum mei amoris erga amantissimam Matrem, cui nimium sum obstrictus, exhiberem; quodve insuper incentivum ceteris meis sodalibus foret ad exactam eam observantiam Regularem, studiumque litterarum colenda, quibus eo in opere laudati viri animum adplicuerunt & vires: qua de caussa haud ingloria floreret Congregatio illa, ex qua tot viri sanctitate praesertim celebres prodierunt; ac praesentium futurorumque alumnorum ejus virtus tanto excitata exemplo omnibus eluceret.

At num post editum opusculum istud alia sim in vulgus opera editurus, & quae spopondi sim exsecuturus? Deus scit, e cujus nutu mors & vita pendent, & a quo bona cuncta procedunt. Quare praesenti pressus onere, necessaria destitutus ope, qui tenuissimos mensae reditus in frugalem honestamque mei ac familiae meae alimoniam, in Ecclesiasticae supellectilis (qua nimium destitutam reperi Dei domum) aliorumque ad divinum cultum

tum

tum neceſſario pertinentium proviſionem, nec non in pauperum ſtipem erogare teneor, quomodo poſſim pecuniam, eamque haud mediocrem, in librorum editionem depromere, qui alieno aere gravatus vivo (praeſertim, quia ſub initium quingentos circiter aureos nummos in Sacrorum paramentorum, aliorumque ad Eccleſiae nitorem pertinentium emtione conſumſi, praeter ea, quae omnes univerſim ad infulas adſumti non ſine gravi impendio ſibi ſuaeque domui comparare tenentur) quique impraeſentiarum ex communi calamitate reditus ipſos meae menſae plene exigere non valeo, nec mediocrem ſummam in reparationem Epiſcopii, aliorumque ſtabilium corporum, ut ajunt, profundere cogor, Deus ſcit: Divinae tamen providentiae confiſus, & jactans ſuper Dominum curam meam quae pridem conceperam opera abſolvere haud omitto, & quamvis quae in Clauſtro degens facillime poteram in vulgus edere, nunc vario detentus labore varioque praepeditus impedimento vulgare non poſſim, quia tamen potens eſt Deus ea perficere, quae nec incipere homo poteſt, quod ipſe mihi benigne indulgebit tempus reſiduum Epiſcopali curae in eorundem ſtudiorum proſecutionem libenter impendam. Faxit tamen D.O.M. ut omnia, ſicut exopto, in ejus gloriam, & Eccleſiae ſuae honorem cedant. Utque res omnis juxta meum votum eveniat Dominum ſupplex exora. Vale.

PROLEGOMENON.



CRIPTURUS de Congregatione S. Mariae Sanitatis illud certe ac sine fuco repetendum autumo, quod olim (longe quidem nobiliori altiorique momento) Micheas Propheta de Bethleemitico solo pronunciavit *Cap. V.* „ Et tu „ Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda . „ Seu , ut noster vulgatus Matthaei textus habet *Cap.* 11. „ Et tu „ Bethleem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda . „ Parvula quidem est Congregatio nostra tot inter inlustres vastasque Provincias Ordinis, sed non minima, quippe quae brevi temporis spatio ad eam pervenit gloriam, quam certo certius longiori annorum curriculo adepti sunt aliqui Regularium haud ignobiles coetus: sive spectes in ea politiam Ordinis, sive doctrinam in alumnis, sive labores pro Ecclesia Dei, ac proximorum salute susceptos, ac exantlata facinora: sive Regularem observantiam ab initio exacta custodia servatam, & adhuc Deo miserante non sine gloria in ea florentem; quamvis impraesentiarum (ut ubique & apud omnes temporum injuria, hominumque conditione assuevit) ea rigidior exactiorque conversatio, ac sublimis perfectio primitus in omnibus fere elucens iis non splendeat radiis, quibus sub initium, Deo benedicente primitias, non sine peculiari gloria effulsit; „ Sed Misericordiae Do„ mini quia non sumus consumti; quia non defecerunt misera„ tiones ejus . „ *Threnor.* 111. *v.* 22. Tot inter ingruentia mala, quae relaxationem suapte natura etiam in Ordine toto, ac in ceteris Regularium coetibus induxerunt, bellorum, nempe, tumultuum, terrae motuum, pestis, aliarumque calamitatum, assiduarumque ex variis caussis infirmitatum, quibus Regnum nostrum fuit adflictum, quaeque omnia ad aviti rigoris temperamentum, ad dispensationes opportunas, & sensim sine sensu ad exactioris observantiae relaxationem vel ipsos adcuratiores ac

zelo

zelo flagrantes Praesules adigunt, urgent & coarctant, adhuc observantia viget. Quare eandem vel ex eo suspicere fas est, quia ad hanc usque diem ex ea prodierunt viri quovis ex momento insignes, quod novissime etiam testificatus est fel. recordationis Clemens XII. (*a*) dum de nostra Congregatione verba faciens ultro libenterque adseruit : „ Ex ea quamplures viros sanctimonia, ac litterarum scientia, & doctrina praestantes, qui universum Ordinem praefatum illustrarunt, nec non multa arctiorisque disciplinae ac insignia virtutum exempla prodiisse . „ Quinimmo & Cl.N.Jacobus Echard, qui novissimis hisce temporibus scripsit, *Sanctissimam* eam dicere non ambegit (b), singularique encomio, semper ac ei fas fuit, eam extollere ac commendare non destitit : quod certe unusquisque acu tangere poterit dum ad praesentem usque epocham inlustres viros heic laudatos offendet, nec ulli poterit suspicio de veritate facti adhaerere, quum ii, quos commendabo, posterioris temporis insignes homines omnibus innotescant. Quid si tandem in nostra Congregatione spectes Templorum nitorem, Conventuum ordinem, religiosam nitidamque structuram, in administratione proventuum oeconomiam, Fratrum multitudinem in eisdem commorantem, & ibi etiam, ubi haud uberes sunt reditus, horumce religiosorum urbanitatem, civilem conversationem, gratitudinem, caritatem praesertim erga hospites & advenas, quos gratis excipiunt, benigne fovent, ac religiose pertractant? Commendationem pariter nostra Congregatio promeretur dum in ea conspicitur communis vita Regularis eaque discreta juxta Sacrorum Canonum praescripta, ac Pontificia statuta vigere, qua sarta tecta servata ex Fratrum depositis, iisque religioso labore adquisitis, argenteis aureisve vasis pretiosa supellectili Sacristiae ornatae conspiciuntur, perpolita Templa, ac Conventus in omnem religiosum nitorem renovati, aut extructi, Bibliothecae libris repletae, ceteraque id genus bona in eis relucentia est observare, quae etiam alibi ex hac vivendi norma commendavi (*c*), quaeque Regulares omnes & suspiciunt, atque com-

(a) *Clemens XII. in Constit.* Injunctae nobis *dat. Rom. apud S. Mariam Majorem* 8. *Julii* 1735.

(b) *Echard.* Tom. II. Script. Ord. Praed. fol. 461. col. 1.

(c) *In Vindiciis Regularium in causa Monasticae paupertatis* .

mendant. Hiſce ergo ex momentis commendanda, & ſummo jure, impraeſentiarum occurrit Congregatio iſta, in eaque jure merito commendandi ſunt viri omni gloria inluſtres, qui in eadem floruerunt; nec quidem ſolummodo ex gratitudinis momento, quia nimirum ego in hac Congregatione enutritus ex eadem ad Epiſcopales infulas fui adſumtus, verum ad D.O.M. gloriam, ex quo gratia omnis effluxit, & donum omne fuit larga benedictione impartitum: quare in Divino eloquio ut id peragamus injungitur praecipitur inculcatur *Eccleſiaſtici XLIV.* „Laude„ mus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua: „ multam gloriam fecit Dominus, magnificentia ſua a ſae„ culo.„

Ut autem horumce virorum virtutes & gloriam recto ordine ediſſeram in tres claſſes diſtribuam eos, quos laudandos duxi, eſto breviter eorum acta percurram, ne videar aut copioſum Chronicon, aut Annales exactos, & integra Congregationis acta conficere (quam utique ſpartam ſibi veteres quidam Noſtrates adſumſerunt, ſed vel non perfecerunt, vel prodromos dumtaxat fructus hujuſce horti depromſerunt poſteris adponendos; & quod revera deplorandum eſt, omnis eorum labor aliorum incuria periit, nil eorum meas ad manus devenit, & quae ſuſpiraveram eorum MSS. nec eminus ſalutare fas fuit: heinc immanem ſubii laborem in Archivis, Schedis, Chartulis, Necrologiis, aliiſque authenticis monumentis evolvendis luſtrandiſque) utque ab ovo rem exordiens recte procedam & ordinate rem totam abſolvam, operae pretium eſt, ut in primis ejuſdem Congregationis fundationem vel digito monſtrem, ut nimirum indigitato fonte, unde limpidi rivuli promanarunt, illius, & horumce gloria coruſcans cunctis conſpicua fiat: quo etiam ex momento ejus Conventus omnes, & Monaſteria eidem Congregationi concredita diſtinguam adnotato anno fundationis, eorumque omnium ſtatu ad abſolutum prolegomenon perficiendum.

Quum diu terra vepribus ac coeno obruta atque repleta delituiſſet Eccleſia ab antiquis retro temporibus D. O. M. dicata in honorem S.Gaudioſi Epiſcopi Bithyniae, ejuſdemque Sancti Praeſulis, ac S.Noſtriani pariter Epiſcopi reliquiis & buſtis decorata, extra Urbis moenia extructa ad radices aprici collis, & in planitie convallis non procul a Templo in honorem S.Januarii Epi-

ſcopi

ſcopi & Martyris ejuſdem Civitatis Tutelaris pariter extra moenia aedificato, ubi laudati S.Martyris lypſana ſervabantur, tandem poſt plurima luſtra, Deo ſic diſponente, omni purgata coeno, ut debito cultui reſtitueretur, a recolendae memoriae V.Cardinale Paulo de Aretio Neapolitano Archiepiſcopo Anno a partu Virginis MDLXXVII. Fratribus Praedicatoribus fuit donata, & in plenariam poſſeſſionem conceſſa, ut conſtat ex vetuſto marmore in eadem Eccleſia (nunc in meliorem longeque ampliorem nobilioremque formam redacta, ſeu ſuperaedificata veteri cryptae) pridem adpoſito, & impraeſentiarum adhuc extante, atque a Caeſare Engenio Caracciolo (a) relato, in quo haec conceſſio deſcribitur. „ Templum ſanctum hoc foedis pur-
„ gatum, divinoque cultui redditum, ubi ſollicitudinem Bea-
„ tiſſimae Matris Dei de ſalute noſtra palpabilem habes, Illuſtriſ-
„ ſimus, & Reverendiſſimus Paulus de Aretio S. R. E. Cardina-
„ lis, Tit. S. Potentianae ac Neap. Antiſtes almae Praedicato-
„ rum familiae conceſſit Anno Domini 1577. menſe Januarii. „

Verum quum non adhuc firmum foret quo titulo eſſet diſtinguenda Eccleſia iſta (ignotum quippe erat Fratribus Praedicatoribus eam olim in memoriam S.Gaudioſi fuiſſe extructam, quia latebat eos vetuſtum Chronicon Epiſcoporum Neapolitanae Eccleſiae poſtmodum repertum, ut idem Engenius adnotavit) aliis ex vulgari traditione illam S.Gaudioſi nomine nuncupantibus, aliis contendentibus ut diceretur Eccleſia Jeſu & Mariae, aliis ſolummodo nomine Salvatoris eam fore diſtinguendam cenſentibus, aliis tandem Sanctorum omnium titulo nominandam exoptantibus, caſu accidit, quod dum laudatus Cardinalis de Aretio (quem noſtri Fratres exſpectabant, ut ipſis concreditae Eccleſiae titulum adponeret) die quadam illuc perveniens obviam haberet Antonium Piſano, tot inter celebres Medicos, quibus tunc redundabat (& nunc etiam decoratur) Civitas noſtra, principem certe locum habentem, qui ad Purpurati Praeſulis currum adcedens eidem poſt debitam ſalutationem congratularetur, quod eam frequentaret vallem, quae ob aëris ſalubritatem a priſcis erudiriſque Medicis *Sanitatis* nomenclatura fuerat diſtincta: eo namque ex ſermone ad rem altius rimandam Venerabilis Cardinalis evectus, & intuitus in pariete vetuſtae illius

(a) *Caeſar Engenius* Napoli Sacra T.I.

lius Ecclesiae depictam imaginem Deiparae Virginis, eandem Dei domum titulo *S. Mariae Sanitatis* distinctam voluit, & sic in posterum fore adpellandam decrevit: quem titulum Deiparae Virgini apprime congruentem Deus ipse miraculo comprobavit, dum ex eo gaudente populo, & prae laetitia conclamante per vias & plateas, infirmus quidam debilis, & aridus, qui fere, exanimis jacebat in lecto, permotus populi clamore, & spe in Deiparam evectus obtinendae sanitatis ad eandem novo hoc titulo laudatam confugit, ejusdem opem in sua infirmitate suppliciter expetiit, & confestim intercedente Virgine Sanitatis Matre sanus & incolumis exiliit Deum in Virgine laudans, & ad novam, seu nuper inventam Ecclesiam laetus & expeditus festinavit miraculum facto & voce testificans ad majorem Dei genitricis gloriam & honorem.

Ad hanc ergo aediculam potius quam Ecclesiam (ut adhuc impraesentiarum eam videre est & in inferiori Crypta, & subtus chorum magnifici postea erecti templi, quae, inquam, est prisca Ecclesia olim S.Gaudiosi, deinde S.Mariae Sanitatis) convolantes selecti viri ex Ordine nostro, ut ibi sub patrocinio Deiparae Virginis D.O.M. vota sua ferventius redderent, exactius custodirent, & Dei cultum propagantes fidelium saluti studerent, parvas sibi casas primum, & cellulas quasdam inter arbores, & vepres sibi construxerunt, nocte dieque Deo psallentes, & ita in Religioso cultu, ac in Regulari observantia victimam se Domino obrulerunt, ut non homines, sed Angeli viderentur Dei throno adsistentes; nec quidem sine aedificatione ac ecstasi saecularium, aliorumque cujuslibet coetus fidelium, qui in eisdem conspiciebant tam ferventem caritatem, tantamque spiritus devotionem, ac singularem Monasticam disciplinam, quae olim in Aegypti & Nitriae Monachis viguerat. Eo, inquam, ex momento perciti seculares plurimi opes & opera contulerunt, ut novus ibi commodusque a fundamentis erigeretur Conventus, magnificumque superstrueretur Templum ad Dei cultum & gloriam promovendam. Et re vera mirabile quid eo in opere est suspicere, & veluti prodigium demirari: ex sola namque stipe a fidelibus sponte oblata, ex transeuntis populi eleemosynis in gazophilacium, seu cippum ante fores Ecclesiae adpositum dejectis brevi temporis intervallo magnificum fuit erectum Templum prae-

praenobilis extructus fuit Conventus, in quo sive molem, sive architecturam spectes (quae opus est Cl. F. Josephi Nuvolo ejusdem Conventus Sanitatis alumni Conversi viri hac arte praepollentis, qui etiam & campanariam turrim Carmeli majoris Neapolitanae Urbis perfecit absolvitque, & Ecclesias SS. Petri, & Sebastiani, ac S. Caroli extra moenia, aliasque in Urbe nostra delineavit, erexit, perfecit) non sine admiratione tot inter inlustres Neapolitanae urbis Ecclesias, & Conventus nobiliorem obtinentem locum eam conspicies, & illum spectabis, quamvis deinde eadem Ecclesia ex Fratrum depositis, aut collectis a fidelibus amplioribus opibus tam affabre fuerit exornata & perpolita, marmoribus, nempe, praecipue in excelso magnificoque suggestu, & praegrandi alraque cochlea ad chorum superiorem perducente, in tabulis penicillo celebriorum hominum depictis, in aureis argenteisve vasis ac ornamentis, praesertim in crystallinis operibus, candelabris, nimirum, Tabernaculo, aliisque vasis ac ornamentis Ecclesiae a F. Azaria Converso ejusdem Conventus efformatis, ut eo convolent exteri omnes, nec vulgares quidem, sed optimates ac Principes, omnisque selectioris ordinis advenae, singulare quiddam observatione dignum in nostra Urbe demiraturi: De qua re quum innumeri pertractent, consuli prae ceteris possunt ex exteris Caesar Engenius Caraccioli, & Canonicus Carolus Celano, ex nostris autem Octavianus Bulgarino, & Seraphinus Montorio, de quibus posterioribus infra ex professo sermo redibit.

Qui autem primitus ad eidem Ecclesiae inserviendum, ad novum locum sanctitate sacrandum, ac ibidem in novo Coenobio austeram, exactamque Regularem disciplinam statuendam convolarunt, certe non vagi, non abjecti, non infimae notae fraterculi fuerunt; sed ii, qui primores in Ordine audiebant, viri selectissimi, doctrina & probitate pollentes, nimirum V.P.M.F. Marcus Masseus de Marthenisio, P. M. F. Ambrosius Pascha, & P. M. F. Ambrosius Guglielmino, de quibus suo loco agetur, P. M. F. Antoninus de Camerota, de quo N. Theodorus Valle pertractat (a), P. F. Erasmus de Tramunro, & P.F. Aegidius Giordano de Neapoli, aliique ab aliis laudati: ex Conversis autem

B selecti

(a) *Theodorus Valle a Priverno* Regno *P. IV. fol. 259.* Huomini illustri della Provincia del

selecti quoque Fratres devotionis ardore ac observantiae Regularis custodia insignes F. Ambrosius agnomine *Spacca*, F. Johannes de Layno, & F. Gaudiosus de Cava, de quibus infra habebitur sermo. Et hi quidem omnes non ambitionis momento, non hypocrisis stimulo, non desperatione cogente, sed Dei spiritu acti ad humilitatem, paupertatem Regularem, exactam disciplinam, ac virtutem omnem colendam promovendamque confugerunt novum genus vitae ultro libenterque suspicientes; ostiatim etiam stipem emendicantes ad suppeditandam sibi frugalem parcamque alimoniam, qui omnes in pane arcto & potu brevi, in psalmis & hymnis, spiritualibus lectionibus, chaumeniis, adflictitationibus, ceterisque piis operibus, ac religiosis exercitamentis Angelicam fere vitam ibi duxerunt. Utque eorum spiritus plene probaretur sedulo invigilavit piissimus juxta ac prudentissimus tunc temporis N. Ordinis Magister Generalis F. Xystus Fabri Lucensis, qui laudatis PP. ac Fratribus superiores dedit austerioris vitae cultores aliunde delectos, ut ita ad lydium lapidem horumce virtus probata posset discerni, nimirum, F. Augustinum de Perusio, & F. Andream de Senis, viros apprime notos, & ad spirituum discretionem optime efformatos; sub quibus tamen, quia reapse erant a Deo vocati, eo ferventius nostrorum Patrum ac Fratrum caritas flagravit, quo humilius sanctiusque novum vitae genus fuerant adgressi: quare benedicente Domino brevi temporis intervallo ita effloruit ibidem Dei vinea electa, ut Asceterium illud primitus humile ac parvum in praegrande excreverit Coenobium centenario fratrum numero refertum, & eo adhuc tempore, quo Caesar Engenius (*a*) suam edidit historiam, Anno nimirum MDCXXIV. evaseritque Angelorum contubernium, & sanctitatis seminarium ad plures efformandos heroës, qui alibi Regularem vitam exactiorem aut statuerent, aut promoverent, omnique virtutis gloria emicarent, quod vel acu tangere erit in inlustribus viris, de quibus heic ex professo agam, qui ad tale opus delecti, Deo benedicente, spiritum caritatis ac Regularis observantiae ceteris participarunt. Est itidem id ipsum in iis observare, qui in aliis fundandis Congregationibus operam navarunt, quique in nostro Conventu S. Mariae Sanitatis novitiatum pere-

(a) *Caesar Eugenius* Napoli Sacra P. I. *Verum in libro* Descrizione del Regno di Napoli *p. 72. numerat in eo CX. Fratres.*

peregerunt, nimirum, in F. Hyacintho Passerino a Sextula Congregationis S. Sabinae fundatore, & P.M.F. Thoma Betti Ex-Provinciale Provinciae Romanae fundatore Congregationis S. Marci de Florentia. Ea propter etiam ad educandos in spiritu sanctitatis nobiliores alumnos ne dum Provincia Regni ad Novitiatum S. Mariae Sanitatis saepissime suos juvenes misit, quod & ceterae Provinciae imitandum curarunt; verum & ipsi Magistri Ordinis eo ex momento ibidem adsignarunt selectiores adolescentes, quod prae ceteris observare est in Fratre Dominico a S. Thoma Othomanae familiae, & in F. Thoma Hovvard de Norfolk S. R. E. Cardinale, qui in eodem Conventu diu commorati suum tirocinium expleverunt. Quid ultra? Augustinus Calaminus M. Ordinis (qui postea fuit S. R. E. Cardinalis) die xv. Octobris MDCX. injunxit Vicario Generali nostrae Congregationis, ut ad fundandum Conventum nostri Ordinis in Terra Paulae in Calabria mitteret fratres suae Congregationis juxta votum & petitionem Archiepiscopi Consentini: similiter ex concessione facta a Paulo V. R. P. eidem Consentino Archiepiscopo fuit injunctum a Magistro Ordinis eidem Vicario Generali nostrae Congregationis, ut ex ea mitteret fratres virtute insignes ad fundandos Conventus duos in Calabria, unum, nempe, in Terra Guardiae, alterum Bavanatii ultra montes, ubi quondam Calviniana haeresis fuerat grassata, & illius accolas infecerat. Similiter Seraphinus Siccus Magister Ordinis destinavit Vicarium Generalem nostrae Congregationis superintendentem ac praesidentem fundationi Conventus S. Mariae Salutis in nostra Urbe pro eadem Provincia Calabriae cum facultate instituendi Superiorem ac Praesidem, qui primus Conventum illum regeret, huncque pariter e nostra Congregatione adsumtum atque delectum. Idem pariter Seraphinus Siccus die v. Novembris MDCXXIX. decrevit, quod omnes Novitii in Provincia Regni ad probationis annum recipiendi tirocinium peragerent in laudato Novitiatu S. Mariae Sanitatis, & similiter, quod Vicarius Generalis nostrae Congregationis requisitus a Provinciale Regni eidem concederet Magistros Novitiorum ex eadem Congregatione delectos ad educationem juvenum suae Provinciae in aliis ejusdem Provinciae Novitiatibus existentium, ut ex autographo ejusdem M. Ordinis, quod adservatur in Archivo S. Mariae Sanitatis *Protocollo. 1. pag. 270.*, in quo

Regesto pariter extant authentica monumenta omnia ejusdem Seraphini Sicci, & Augustini Calamini nuper laudata. Romani quoque Pontifices ad reformandos aliarum Provinciarum Conventus, vel ad exactam Regularem vitam alibi firmandam e nostra Congregatione clariores viros seligendos decreverunt, quod praeceteris praestitit Urbanus VIII. qui ad reformandas Provincias Apuliae, Calabriae, & Siciliae praecipue e nostra Congregatione Visitatores fore adsumendos praecepit, ut praesertim legere est in Bullario Ordinis (a) & infra in pluribus, quos laudabo, est observare, qui ad munus Visitatoris ac Provincialis aliarum Provinciarum fuerunt delecti. Neque hoc dumtaxat in primordiis nostrae Congregationis, verum & successu temporis ad hanc usque epocham est observare, ut ex infra dicendis luculentius adparebit.

Extructo igitur, ut dictum est, Conventu S. Mariae Sanitatis sub patrocinio Deiparae Virginis (ubi tamen nonnisi Anno MDLXXXIII. ad habitum recipi coeperunt Novitii, primusque ad habitum ibi receptus fuit F. Dominicus Guglielmini, de quo infra agetur) & exactiori Regulari vita ibidem firmata peculiares pro eo fuerunt ordinationes procusae: quare esto ab initio sub obedientia Provincialis Regni idem Conventus fuerit constitutus, peculiaribus tamen privilegiis, ac exemtionibus fuit distinctus, ut constat ex Bulla Xysti V. R. P. pro Provincia Regni. Verum quum in dies eidem Conventui Sanitatis alii adgregarentur, vel pridem erecti Conventus, & sub aliarum Provinciarum obedientia constituti, vel alii de novo a fundamentis extructi pro fratribus S. Mariae Sanitatis (qui vulgo Fratres *Reformati* audiebant, & sic pariter in Bullis Romanorum Pontificum adpellantur, solummodo ob exactiorem Regularem vitam, quum de cetero ab initio, & deinceps sub obedientia Magistris Ordinis easdem professi sint Constitutiones, quas ceteri Provinciarum Fratres servabant, nec a gradibus Ordinis, nec ab aliis Provinciarum moribus laudabilibus, praesertim adfiliationibus, per volam aut per hilum declinarint) Ordinis nostri Generales Magistri comperta ac probata nostrorum vivendi forma peculiaribus gratiis eosdem donandos, ac distinctione fovendos curarunt: sed primum quidem hisce gratiis fuit decoratus Conventus Sanitatis dum

(a) *Bullar. Ordinis* Tom.VI. pag.39.

dum numero Fratrum redundare coepit, deinde Congregatio tota, quae ex adjunctis Conventibus coaluit. Romani Pontifices itidem omnem adhibuerunt curam, ut laudari Fratres Congregationis S. Mariae Sanitatis in sancta vocatione manentes peculiaribus privilegiis decorarentur. Xystus Fabri namque supra laudatus Anno MDLXXXIII. statuit, ut Conventus S. Mariae Sanitatis foret loco seminarii ad virtutem omnem in juvenibus excolendam, & ad observantiam in Provincia Regni firmandam: heinc quamvis decrevisset eundem Conventum non fore separandum a Provincia Regni, tamen Magistri Ordinis obedientiae immediate illum subjecit interdicta Provinciali Regni potestate, & superioritate super eodem, ut constat ex litteris ejusdem Magistri Ordinis ad Fratrem Augustinum de Perusio datis die xxx. Septembris ejusdem Anni MDLXXXIII. quarum autographum servatur in Archivo S. M. Sanitatis (*a*). F. Michaël Bonellus Episcopus Albanensis, Cardinalis Alexandrinus nuncupatus, S.Pii V. nepos, ex Ordine Praedicarorum ad purpuram evectus, & totius Praedicatorum Ordinis Generalis Protector eandem unionem Conventus S. Mariae Sanitatis cum Provincia Regni, ejusdemque exemtionem a jurisdictione illius Provincialis Apostolica authoritate confirmavit; voluitque Fratres laudati Conventus Sanitatis obnoxios fore contributionibus debitis Provinciali Regni, vocemque activam & passivam in Capitulo Provinciali ejusdem Fratribus S. Mariae Sanitatis indulsit, vetans omnino Prioribus Provincialibus Regni pro tempore existentibus ne ullatenus suam jurisdictionem exercerent super eisdem Fratribus Sanitatis, quos immediate subjecit jurisdictioni proprii Vicarii Generalis, ut constat ex ejusdem Cardinalis Bonelli epistola, sive decreto sub die XIII. Septembris MDXCIII. quod authenticum & autographum extat in eodem Archivo S. Mariae Sanitatis. Idipsum statuit ac decrevit de mandato Clementis VIII. Capitulum Generale Romae coactum Anno MDCI. *declaratione x.* quinimmo ipsemet Clemens VIII. hoc prius suo calculo statuerat, qui propterea praecepit, ut in Vicarium Generalem ejusdem Congregationis eligeretur V. P. M. F. Marcus Maffeus de Marthenisio, ut constat ex decreto Sacrae Congregationis Visitationis Apostolicae die XXIX. Augu-

(*a*) *In Archivo Sanitatis* Protocollo I. *ubi etiam extant aliae scripturae authenticae supra laudatae.*

Augusti An. MDC. quod pariter servatur authenticum in laudato S. M. Sanitatis Archivo. Paulus V. ex voto S. R. E. Cardinalium S. Congregationis Episcoporum & Regularium decrevit, quod Vicarius Generalis Congregationis S. Mariae Sanitatis in electione Provincialis Regni locum & votum haberet post Provincialem, seu Vicarium Provincialem Regni, confirmavitque Fratribus ejusdem Congregationis vocem activam & passivam in eodem Capitulo Provinciali Provinciae Regni, ut constat ex suo Brevi dato Romae x. Octobris MDCV. (*a*) Cumque super hoc privilegio de suffragio ferendo in electione Prioris Provincialis Regni nostris indulto nova controversia fuisset exorta, contendentibus ex adverso, & reluctantibus Patribus laudatae Provinciae Regni, Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium praeposita, audito Generali Ordinis Magistro, & instantia oppositorum saepius examinata, censuit decrevitque servandum esse decretum Capituli Generalis MDCI. de mandato felicis recordationis Clement. VIII. *nec quidquam* contra ipsius formam & tenorem *innovandum esse* praescripsit; quinimmo contradictoribus perpetuum silentium fore imponendum mandavit, ut ex decreto ejusdem S. Congregationis die xxx. Septembris MDCL. quod authenticum servatur in eodem Archivo S. Mariae Sanitatis: similiter idipsum decretum confirmavit Innocentius X. R. P. (*b*) (qui itidem statuit, declaravit, & decrevit *non convenire, quod dicta Congregatio in Provinciam erigeretur*.) statuitque pariter hoc jus suffragii ferendi in electionibus Priorum Provincialium Provinciae Regni competere Vicario Generali, Magistris, Prioribus, & Praedicatoribus Generalibus Congregationis S. Mariae Sanitatis, ut videre illud est etiam in Bullario Ordinis nostri: (*c*) idemque pariter fuit confirmatum ac declaratum novis decretis ejusdem Sacrae Congregationis XII. Aprilis MDCLIII. & XVII. Aprilis MDCLXXI. Cumque iterum iterumque ex adverso insurgerent & instarent PP. laudatae Provinciae Regni fuit ab eadem Sacra Congregatione decretum & decisum *partem adversam non esse amplius circa prae-*

(a) *Bullar. Ordin.* Tom.V. pag. 635.

(b) *Innocentius X. in Brevi*, *quod incipit* Exponi siquidem, *dat. Rom.* 12. *Decembr. MDCL.*

(c) *Bullar. Ordin.* Tom.VI. fol. 163.

praenotata audiendam, sed ipsi perpetuum imponendum silentium, ex decreto ejusdem Sac. Congreg. xvii. Julii MDCLXXI. quod autographum servatur in praefato Archivo S. Mariae Sanitatis. Tandem Clemens X. (a) confirmans omnia praelaudata decreta statuit ac diffinivit Congregationem Sanitatis servandam esse *in sua exemtione a jurisdictione Provincialis Provinciae Neapolitanae*, eidemque Congregationi *competere jus ferendi suffragium in Capitulo ejusdem Provinciae*, & ab eadem *non esse separandam per erectionem alterius distinctae Provinciae*.

Verum evecto ad Apostolicum Thronum F. Vincentio Cardinale Ursino Archiepiscopo Beneventano ex Ordine nostro adsumto, qui sibi Benedicti XIII. nomen imposuit, gravem subiit tempestatem Congregatio nostra, quae post varios toleratos superatosque agones sua pace potiebatur. Anno siquidem Pontificatus ejusdem II. & nostrae salutis MDCCXXV. iterum ferventius instari coeptum est contra laudatam facultatem ferendi suffragium in electione Provincialis Regni, iterumque adversus eam plures insurgentes diversimode contra eam bella pararunt. Alii quidem, ut uniretur nostra Congregatio Provinciae Regni exposcebant, unaque ex nobilioribus commodioribus aut proximioribus Urbi Conventibus Congregationis, & Provinciae Regni conflata efformaretur, ex reliquis vero rejectis altera erigeretur Provincia, cui ceteri Conventus omnes Congregationis S. Marci Gavotorum adgregarentur. Alii tandem instabant, ut ex Congregatione Sanitatis, & S. Marci Gavotorum una efficeretur Provincia, cui pro suo libito unusquisque suum adponebat titulum, aliqui S. Bartholomaei Provinciam dictam volentes, alii Beneventanam, ut adsentarentur, si forte fortuna fieri posset, SS. Pontifici Beneventanae Ecclesiae nimium adfecto. Praevaluit autem fraus & dolus posterioris voti (esto circa titulum Provinciae nullius fuerit aut omen, aut votum exauditum) signiferi cujusdam, qui jam judicatus est, nobisque apprime noti (utinam & ipsum nescire licuisset) quem propterea nec lubet, nec fas est nominare, qui SS. Patri exposuit non leve ex hac unione levamen & auxilium adferri Patribus S. Marci Gavotorum, praecipue in studio litterarum, cui facilius incumbere poterant in nostris Conventibus, & sub directione nostrorum Magistrorum, aliaque itidem insinuavit

(a) *Clem. X. in Brevi dat. Romae xxvii. Jan. MDCLXXII.*

nuavit plura, quibus facillimum ei fuit, nobis nesciis inauditis nec ullo modo fraudem detegere valentibus, inclinare animum revera Sanctissimi Pontificis bono fine permoti, ut etiam Clemens XII. R. P. ait, praesertim dum fraudem subodorari fas ei non erat: qua de caussa litteras in forma Brevis ad Capitulum Generale in proximo Bononiae celebrandum direxit, cui unionem hanc duarum Congregationum in unam ex eis compactam Provinciam commisit (*a*). Ad Capitulum adcessi ego simul cum P. M. F. Thoma M. de Baucio, seu de Balzo, venerando revera sene, qua natalium nobilitate, qua virtutis specimine, qua in regimine Monastico toto fere suae vitae tempore probata prudentia ac dexteritate; quotve ea in re pertulerim animi dolores, quotque spiritus adflictiones, dum in cassum me laborantem reperi, non audientibus iis etiam, qui nobis favere optabant, sed longe ire a voluntate Benedicti XIII. nolebant, Deus scit, qui solus dolorem ac laborem considerat: quare optimum duxi supplicare Patribus Capitularibus, ut Reverendissimo Patri M. F. Thomae Ripoll tunc in Magistrum Ordinis electo, Viro apprime probato, cui ob munera in Curia primum obita res tota perspicua erat, nobisque nimium compatiebatur, negotium Romae cum Summo Pontifice pertractandum committeretur, sperans forte fortuna, ut re ingenue eidem R. P. a tanto viro tunc electo in Magistrum Ordinis exposita, laudatus Pontifex revocaret sententiam, nosque sineret in propria professione, ac pristina pace manere. Sed quia id facile non fuit Ordinis Magistro laudato semperque commendando, nulla alia edita Bulla confirmativa prioris Brevis, sola Pontificis voluntate fuit ab eodem Magistro Ordinis utraque Congregatio in unicam erecta Provinciam, *S. Mariae Sanitatis* dictam, legibus in ea servandis adjectis, & in primum Provincialem instituto P. M. F. Augustino de Simeonibus filio Conventus S. M. Sanitatis. Verum non diu haec Provincia perstitit (Brevius porro fuisset dissoluta si supervixisset laudatus Benedictus XIII. qui post factam unionem, fraude perspecta, indoluit super ea, nostrisque in Conventu S. Mariae ad Vicum de Argentio dum secundum Beneventum venit, suam aperuit mentem) nam ad Thronum Pontificium evecto Cardinale Corsino, qui sibi nomen imposuit Clementis XII. instantibus nobis (seu potius me principe & solo

(a) *Extat hoc Breve in Bullario Ordinis* Tom. VI. pag. 561.

& solo forte agente, ac propterea operam & impensam praecipue adplicante) statum Provinciae aperientibus, & prisca Summorum Pontificum decreta opponentibus, re bene examinata in peculiari Congregatione super hac causa habita, auditoque primum voto Apostolici tunc Nuncii in Neapolitano Regno Raynerii Simonetti die VIII. Julii MDCCXXXIV. (a) dissoluta Provincia fuit, ambae Congregationes separatae fuerunt, nostraque ad pristinum statum & privilegia (excepto eo dumtaxat ferendi suffragium in Capitulo Provinciali Regni, cui lubentissime, me instante, omnes nostri Patres ad pacem servandam cesserunt) fuit restituta; quin & novis itidem privilegiis fuit decorata: quia autem ea inter illud exstabat, ut Patres in Provincia (scilicet *Magistri*, sicut Sanctissimus *aperiendo mentem suam declaravit* (b)) tres eligerent viros, quos Magistro Ordinis praeponerent, qui unum ex illis in Vicarium Generalem eligeret praeficeretque: ad majorem obedientiam ac reverentiam Magistro Ordinis servandam, ad pacem & quietem in nostra Congregatione manutenendam, ego cum aliis S. Th. Magistris iterum ad eundem SS. Pontificem Clementem XII. supplex adcessi humiliter rogans, ut in posterum Vicarius Generalis nostrae Congregationis juxta decretum fel. record. Clementis VIII. immediate a M. Ordinis eligeretur ex sui plenaria potestate, & ad sui lubitum sine ulla praevia propositione, seu praesentatione Magistrorum, votisque benigne annuit SS. Pontifex Brevi super hac re edito die x. Septembris MDCCXXXVI. primusque sic institutus Vicarius Generalis ex plenaria potestate P. M. Ordinis fui ego, qui certe nil sciens, nil optans (Deus scit quod non mentior) nec valens mente concipere quomodo ad hoc munus possem adsumi, qui tunc temporis pluribus aliis praepeditus muneribus Primarium S. Theologiae Professorem agebam in Regia Neapolitana Studiorum Universitate, necnon Theologum Caroli Hispaniarum Infantis utriusque Siciliae Regis: quare ad id munus fui adsumtus ex sola benignitate ac caritate Reverendissimi laudati Magistri Ordinis F. Thomae Ripoll erga me semper pro sua clementia adfecti, pro quo propterea semper fundo ad Deum preces, ipsius ad

C meos

(a) *Exstat hoc Breve in Bullario Ordinis Tom. VI. fol. 742.*

(b) *Ex decreto S. Congreg. die 30. Octobris 1734. quod autographum a me servatur.*

meos usque cineres memor. Sic ergo nostra Congregatio in suo pristino statu firmata plena pace potitur.

Hujusce igitur Congregationis fundatione, statu, privilegiis, ac varia fortuna expensis, operae pretium est, ut ejusdem Coenobia sive Conventus distincte describantur, eorumque fundatio, vel sub Congregatione, vel ante illius erectionem enuncietur; necnon Monasteria Sanctimonialium eidem Congregationi concredita parili modo describantur, ut, illius statu plenarie expenso, possint deinde percenseri inlustres Viri, qui ex eadem Congregatione hisce Conventibus conflata prodierunt. Ordinem autem in enumeratione haud a fundationis epocha texam, sed incipiens a Conventu principe in Urbe Neapolitana, illos ei proximiores situ gradatim enunciabo ad loco distantiores usque perventurus; deinde percensebo illos, qui olim eidem fuerunt adgregati, sed postea ab eadem avulsi, prisco ac presenti statu haud occultato: tandem de Sanctimonialium Gynaeceis verba facturus Prolegomenon ad umbelicum perducam.

I. Conventus S. Mariae Sanitatis, ut supra plenius dixi, initium suae fundationis habuit sub Cardinale de Aresio Anno MDLXXVII. & ab Anno MDLXXXIII. ad habitum ibidem recipi coeperunt novitii. Ex decreto Sacrae Congregationis eidem sunt adsignati, seu incardinati filii numero LXXXV. plures autem in majori numero degunt Fratres, estque locus a Sacra Congregatione destinatus pro Novitiatu, seu probationis anno ibi peragendo, manentque pariter in Novitiatu praegrandi ac revera nobili suspiciendoque Novitii simplices simul ac professi ex speciali gratia S. Sedis; vigetque pariter in eo studium Artium, & S. Theologiae, & aliquando etiam fuit studium Generale nostrae Congregationis priusquam Conventus Montis Dei in Collegium erigeretur.

II. Conventus S. Spiritus in eadem Urbe exsistens, vulgo *de Palatio* dictus, quia e regione Regii Palatii exstat erectus, ab antiquis retro temporibus exstructus legitur, & pro Patribus Basilianis Armenis aedificatus, eo praesertim ex momento, ut illi Neapolim adventantes inibi possent religiose vivere, Armenicumque ritum peragere, aut saltem ad tempus hospitio recipi; ejusdemque Conventus primordia in vetustissimis codicibus a nobis adhuc servatis est legere: ubi adnotatur, quod ab Anno

sa-

ſalutis MCCCXXVI. primitus eiſdem Fratribus S. Baſilii Armenis fuit ibi praeſtitus incolatus, & quidem expenſis Landulphi Caracciolo Neapolitani Equitis, ut Caeſar Engenius Caracciolus ſcribit (*a*). Verum Conventus hic tunc primum pro eis exſtructus ibi exſtabat, ubi nunc dicitur *Palatium Vetus* (ad diſcrimen novi Regii Palatii ampliori nobiliorique forma poſtmodum exſtructi). Quum vero difficile nimium foret temporum decurſu ex Armenia Neapolim tranſmeare Fratres S. Baſilii, praeſertim ex ſchiſmate Graecorum diſciſſo Ordine laudato; heinc qui cum Romana Eccleſia communionem ſervabant ſubjecti erant obedientiae Magiſtri Ordinis Praedicatorum, ut conſtat ex Brevi Nicolai V. R. P. poſt pauca laudando, F. Paulus-Antonius Bentivoglia (qui unicus tunc ex eodem Baſiliano-Armenico coetu remanſerat Neapoli Frater ac Prior laudati Conventus S.Spiritus) donandum eum cenſuit Ordini Praedicatorum, & annuente Nicolao V. P. M. (*b*) Anno ſalutis MCCCCXLVIII. eiſdem Fratribus Praedicatoribus ceſſit, qui ibidem Eccleſia ampliata, Conventu ad meliorem formam redacto, aedificato Capitulo cum ceteris officinis ad Regularem normam juxta Ordinis ſtatuta, incolere eum coeperunt, & proximorum ſaluti operam navare, octodecim circiter Fratribus ibidem degentibus, uſque ad Annum Domini MDLX. Tunc enim Regia Aula, quae tunc exſtabat in Caſtro novo, latius volens ſibi providere ad Principis decorem & populi confluentis commodum, ibi ſuum exſtruxit Palatium, ubi laudatus Conventus erat erectus; tuncque praeſertim Fratres Praedicatores recedere juſſi ſunt, quum ſub regimine Neapolitani Pro-Regis D. Petri de Toleto eo uſque Regii Palatii fabrica fuit protenſa: Tunc quippe facto ab expertis pretio laudati Conventus, eoque ſtatuto ſex millium centum, & quinque ducatorum, tarenorum trium, & granorum novem, eoque adſignato Noſtris pro aedificatione novi Conventus alibi exſtruendi(ſed pretii hujus nonniſi ſumma trecentorum aureorum fuit ſoluta eiſdem Fratribus noſtris tempore Pro-Regis Neapolitani Ducis de Alcalà, & in cenſum annui ducati decem Regni fuerunt adſignati, qui uſque ad praeſentem diem a noſtris exiguntur) eó commi-

(a) *Caeſar Engenius* Napoli Sacra Tom. I. fol. 544.

(b) *Hoc Breve Nicolai V. autographum ſervatur in Archiv. Conventus S. Spiritus & exaratum exſtat in Bullar. Ord.* Tom III. pagg. 256. & 257.

grarunt, ubi eis locum donaverat Trivici Marchio, nimirum, in Monte Echio (vulgo *Pizzofalcone*.) Ibi namque Patres Provinciae Regni novi Conventus fundamenta posuerunt eodem retento titulo *S.Spiritus* in memoriam illius Conventus, unde discesserant (hodie Mons Dei adpellatur, ut infra clarius expendetur) sed ad aedificium non pervenerunt nisi plures post annos, Anno, nimirum, MDLXXVIII. quando ex nova oblatione facta a Ferdinando Loffredo Trivici Marchione, ejusque expensis parva aedificata Ecclesia, eo iterum commigrarunt, qui diu inde aberant post posita fundamenta, & nonnisi Anno MDLXXX. ibidem habitare in parvis casis coeperunt, titulo *Montis Dei* novo Conventu decorato. Verum laudati Patres Provinciae Regni memores loci, unde discesserant, & nimium pertaesi de novo, eoque solitario, atque ab Urbe distante, itinerisque ob situs altitudinem incommodi ac difficilis, eo non penitus derelicto, ad locum, unde recesserant prius, redire statuerunt: & e regione primaevi jam demoliti Conventus novum, sed parvum Conventum ad dexteram versus mare protendentem, itidem *S. Spiritus* titulo decoratum construxerunt, parva itidem aedificata Ecclesia, eaque non bene perpolita, ut illa ferebat aetas, permittebatque inopia Fratrum: ibique laudati Patres Provinciae Regni permanserunt usque ad Annum MDXCI. quando ex decreto Cardinalis Alexandrini Conventus hic S. Spiritus simul cum Conventu Montis Dei unitus & adgregatus fuit Congregationi S. Mariae Sanitatis, primusque filius laudati Conventus S. Spiritus, qui tempore hujusce unionis legitur ibi adceptatus & incardinatus, fuit F. Paulus Pappalardo, ut habetur in authenticis scripturis ejusdem Conventus S. Spiritus (*a*). Verum in Actis sinceris primigeniisque nostrae Congregationis, quae in Archivo S.Mariae Sanitatis adservantur (*b*), alia plura adnotantur circa adcessum Fratrum S.Mariae Sanitatis ad Conventus S.Spiritus possessionem, quae addere ad ulteriorem notitiam lubet: nimirum, quod tunc temporis nonnisi quatuordecim Fratres ex Provincia Regni ibidem degebant, quibus data optione, aut ibidem pertrahendi moras, si vellent exactiorem Regularem vitam Nostrorum tenere, aut alio transmigrandi, si nollent eam

(a) *In libro filiorum Conventus S.Spiritus.*

(b) *Archiv. Sanitatis* Protocollo I.

eam observantiam colere, duobus dumtaxat Hispanis Fratribus remanentibus, ceteri proprio charactere chyrographo firmato voluntarie recesserunt ab eo, & ad alios Provinciae Regni Conventus declinarunt. Inde igitur alio jam demigratis Fratribus laudatae Provinciae Regni, illuc confestim processionaliter e Conventu S. Mariae Sanitatis adcesserunt Fratres Sacerdotes, Novitii, & Conversi, omnes numero XXII. tanta devotione ac compositione per viam incedentes, ut communi omnium voce *Fratres Sancti* audirent. Plura itidem huc facientia adcurate narrantur in eisdem Actis, quae heic percensere superfluum est, & tantummodo addere lubet, quod primus e nostra Congregatione illius Prior fuerit P.M.F. Ambrosius Guglielminus, & similiter, quod tunc temporis summa redituum omnium praefati Conventus haud excedebat mille & octingentos ducatos monetae Regni, quum nunc ex industria labore & oeconomia Fratrum Congregationis, praesertim ex Fratrum depositis in censum adplicatis, quinque millium aureorum summam annuus reditus excedat. A nostris Fratribus Congregationis itidem, veteri demolita Ecclesia, nova fuit exstructa nobilibus ornata tabulis, marmoreisque peristiliis, Capellis magnifice exstructis, laqueari praenobili auro circumquaque decorato, facie templi marmoribus ac duris sectisque lapidibus piperninis affabre exstructa, argenteis statuis, aliisque ornamentis decorata, praesertim nobili Sacrario venata radice nucum circumtecto, & quinque millium aureorum pretio elaborata: quare si ad computum redigas expensas hucusque a Nostris factas invenies eas superare summam sexaginta millium aureorum: eaque etiam de caussa laudata Ecclesia inter illustriores Neapolitanae Urbis jure merito percensetur. Quid dicam de Conventu novo a Nostris pene a fundamentis erecto? Praegrandi pulchroque Claustro exornatus, Bibliotheca insigni distinctus, Dormitoriis optimis circumseptus, Pharmecopaea, Refectorio, Hospitio, Cameris, Capitulo ceterisque necessariis officinis plusquam quatruplo amplior vetusto Conventu a PP. Provinciae relicto evasit, isque pulcherrimus certe, & inter plures Praedicatorum Conventus Neapoli exstantes haud ignobilem locum tenens copiosa Fratrum familia praesertim decoratus. In eo autem ab eodem Anno MDXCI. ex quo Fratres S. Mariae Sanitatis illum incolere coeperunt, usque ad Annum MDCL. viguit Novitiatus nedum Cle-

Clericorum Professorum, verum etiam Novitiorum simplicium, ut ajunt, itaut Annis LIX. solidis fuerit locus probationi ac receptioni Novitiorum destinatus. Ab Anno autem MDCL. ad hanc usque diem dumtaxat Professorium viguit, necnon studium Artium & Theologiae; eique ex decreto S. Congregationis sunt adsignati filii XLV. esto impraesentiarum illius Conventus familia quinquagenarium Fratrum numerum universim compleat, & multoties, nec raro, illum excedat.

III. Collegium Montis Dei in eadem Urbe Neapolitana in Monte Echio exstructum Anno MDLXXVIII. & deinde ad tempus uno aut altero Fratre ex Provincia Regni illud incolente, ceteris ad exstructionem novi Conventus S. Spiritus convolantibus, retentum, tandem penitus ab eisdem Fratribus laudatae Provinciae derelictum, decreto Cardinalis Bonelli cessit Frattibus Congregationis S. Mariae Sanitatis Anno a partu Virginis MDXCI. ut supra fuit indigitatum. Et quamvis a PP. Sanitatis fuerit locus ille pridem rudis ad formam Conventus novo aedificio redactus, non tamen ab initio possessionis plures ibidem Fratres habitarunt, sed paucis ibidem degentibus fuit primitus in Vicariatum erectus, deinde, completa fabrica plures ibidem degere coeperunt: quare Anno MDCXLIV. primum fuit in Conventum formalem stabilitus, primusque ei praefectus Prior fuit F. Vincentius Fasulo, postmodum ex Conventu S. Mariae Sanitatis illuc translato Studio Generali, fuit in Collegium erectus Anno MDCL. primusque itidem ejusdem Rector fuit F. Archangelus Cani. Eidem quoque Collegio ex decreto S. Congregationis sunt adscripti filii XV. Verum universim, computatis Moderatoribus, ac Collegialibus ad minus octo, ceterisque Sacerdotibus, ac Conversis, XXII. Fratres ibidem degunt. Institutio autem Rectoris ejusdem Collegii ex speciali Brevi Innocentii XI. plenarii juris est Vicarii Generalis Congregationis S. Mariae Sanitatis.

IV. Conventus S. Mariae *ad Liberam* Villae Vomeris extra moenia Neapolitanae Urbis, & in Colle non procul ab Olympica ora ex parte maris, ad rusticanae gentis culturam ac spiritualem profectum, nec sine Fratrum commodo ob aëris salubritatem, ac loci amoenitatem, aedificatus & dotatus fuit a Nicolao-Vincentio, & Hannibale Caesareo, atque *Fratribus Reformatis S. Mariae Sanitatis* donatus die XIX. Octobris Ann. MDLXXXVII.

MDLXXXVII. ut legitur in instrumento ejusdem donationis, quod in eodem Conventu autographum servatur. Sunt eidem adsignari X. filii, totidemque universim ibi Fratres degunt, qui infirmis sacrum viaticum & extremam unctionem ministrant, dati propterea in coadjutores Parochorum, qui ob loci ab Urbe distantiam eo adcurrere non possunt, in doctrina Christana parvulos instruunt, aliaque caritatis & religionis munia obeunt gratis.

V. Conventus S. Mariae *ab Arcu* in Castro, seu Oppido Miani, pariter Neapolitanae Dioeceseos, duobus circiter ab Urbe nostra milliaribus distante, adolescente XVII. Seculo Fratribus S.Mariae Sanitatis fuit concessus. Aedificari namque coepit die V. Novembris MDCXXV., ut constat ex concessione Decii Cardinalis Carafa Archiepiscopi Neapolitani, sed die xx. mensis Junii MDCXXXI. in veram plenam ac realem Conventus & Ecclesiae possessionem intravit Vicarius Generalis ejusdem Congregationis una cum Religiosis Conventus S. Mariae Sanitatis ibi tunc adsignatis, praevio tamen adsensu Apostolico Urbani VIII. prius obtento, Anno nimirum MDCXXX. Eidem sunt adscripti X. filii, totidemque Religiosi universim ibi manent.

VI. Conventus S.Mariae Sanitatis, sive Sanctissimi Rosarii Casalis, seu Villae Barrae, Dioeceseos Neapolitanae, tertio ab Urbe lapide, haud primum fuit in formam Conventus aedificatus, sed potius hospitii ad modum fuit adcomodata domus V. P. M. F.Marco Maffeo ejusque Sociis donata a Domino Octavio de Aponte die XIII. Octobris MDLXXXIV. hoc,nimirum,ex caritatis momento, ut ibidem ob aëris salubritatem Novitii infirmi ac convalescentes relevarentur; eratque tunc addictus ille locus ac incorporatus Conventui S. Mariae Sanitatis, cujus erat Grangia,& propterea titulum etiam *S.Mariae Sanitatis* obtinuit:sed temporis successu ad formam Conventus redacta domo illa, eique adjuncta parva Ecclesia, fuit Conventus in Vicariatum erectus die XI. Septembris Anni MDC. & separatus a Conventu Sanitatis, heinc fuit distinctus titulo *SS. Rosarii*, primusque illius Vicarius fuit F.Thomas Mansi, (alius ab eo, de quo infra redibit sermo) & qui primus legitur ei filius adgregatus, fuit F.Stephanus Benincasa pro eodem Conventu ad habitum receptus die VIII. Decembris MDCII. Tandem die XII. Maji MDCX. a

F.Au-

F. Augustino Galaminio Magistro Ordinis fuit in Prioratum erectus, & qui primus fuit ibi Prior praefectus fuit F.Callixtus de Marthenisio, de quo pariter infra habebitur verbum. Hodie autem inter celebriores extra Urbem Conventus primorem dubio procul obtinet locum ex magnifica à fundamentis exstructa Ecclesia, pulcherrima Sacristia, optima Pharmacopaea, ceterisque officinis amplificatis, ac in commodiorem formam redactis. Ex decreto S. Congregationis XII. ei sunt addicti filii, sed universim sexdecim Fratres alit.

VII. In Dioecesi Aversana adest Castrum, sive oppidulum, *S. Caesarii* dictum, nunc corrupte *Caesarum*, vulgo autem *Cesa*, sexto ab Urbe nostra lapide distans, ibi Ascanius de Tolfa illius Castri dominus Ecclesiam aedificavit in honorem B. Mariae, *de Nova* dictae, quam postea praevio adsensu Episcopi Aversani Fratribus S. Mariae Sanitatis donavit Anno MDCV. qui ibidem parvum, sed non despicabilem aedificarunt Conventum, & universim ibi ad fidelium spirituale beneficium quinque Fratres degunt. Sunt autem eidem Vicariatui VI. filii adgregati, & impraesentiarum Ecclesia nobiliori forma est perpolita, ac Conventus ad commodiorem habitationem redactus.

VIII. Conventus SS. Annunciationis Civitatis Acerrarum septimo circiter ab Urbe lapide distantis Anno a partu Virginis MDCXXXVII. fuit aedificatus, & Fratribus S.Mariae Sanitatis donatus, atque impraesentiarum completa jam fabrica, & ad umbelicum redacto Conventu, ornataque Ecclesia, inter parvos non reputatur, sunt enim ei incardinati XII. filii, totidemque ibi manent Religiosi.

IX. Conventus S.Dominici de Summa (apud Veteres Terra illa fuit etiam dicta *Vesuvium*, quia non procul distat a Monte Vaesaevo, seu Vesuvio, inter ignivomos non modico) Dioeceseos Nolanae, octavo circiter ab Urbe lapide, ab antiquis retro temporibus a PP. Ordinis S. Benedicti fuit exstructus in memoriam & titulum S.Honuphrii, ut ex imaginibus in pariete depictis colligere fas est, atque ab eisdem Benedictinis diu retentus. Verum Anno Domini MCCXCII. sub Pontificatu Nicolai IV. fuit concessus Ordini Praedicatorum, a quibus fuit ampliatus & in meliorem formam redactus, diuque a Fratribus Provinciae Utriusque Lombardiae possessus. Anno postea Salutis MDXC. instante Universitate,

versitate ejusdem terrae, atque illius tunc domino Comite Laureti (nunc est immediatae Regiae possessionis) a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium negotiis praeposita, praesertim ab illius tunc Praefecto, & Ordinis Protectore Cardinale Alexandrino fuit a Provincia Lombardiae avulsus, & adgregatus Congregationi S. Mariae Sanitatis, primusque ibidem ex eadem fuit datus & institutus Prior V.P.M.F.Marcus Maffeus (*a*). Verum circa fundationem laudati Conventus aliqua sunt animadvertenda, quae omittere non decet. Quum enim ex constanti traditione habeatur, quod ab Andegavensibus Ducibus, Neapolitanis Monarchis fuerit laudatus Conventus exstructus, & in vetusta tabula affabre depicta, atque in ejusdem Conventus Sacristia ad haec usque tempora servata, conspiciatur effigies Caroli II. Andegavensis ad pedes Deiparae, S. Patris Dominici, ac S.Mariae Magdalenae provoluti & orantis, nec non in publicis instrumentis Regia authoritate confectis, ceterisque id genus Scripturis laudatus Conventus *Regalis* dicatur, quo etiam ex momento Regius Gubernator ejusdem Terrae, ut primum intrat in exercitium sui muneris, in laudato Conventu Regium Diploma legendum publicandumque depromit, ibidemque ad Regium decorem festa, aliaque id genus eo ex momento peraguntur; dicendum proculdubio videtur, quod laudatus Conventus pridem a Benedictinis in memoriam S. Honuphrii exstructus, deinde fuerit reaedificatus ampliatusque a Carolo II. Andegavense, & in memoriam S.Mariae Magdalenae; cui laudatus Princeps addictissimus erat (quod etiam ex aliis monumentis conligere fas est) ejusdem titulo ac nomine fuerit nuncupatus. Quod vero postea S.Dominici titulo idem Conventus fuerit distinctus facile est explanare ex aliis ejusdem nomenclaturae, qui successu temporum ex Fratribus Dominicanis eos incolentibus titulum Fundatoris promeruerunt, esto primitus sub hoc titulo non fuerint exstructi atque distincti: quod praeceteris est observare in Regali Conventu S.Dominici, dicti *Majoris*, in Urbe nostra Neapoli, ut praesertim Cl. Parthenopaeus Caesar Engenius Caraccioli ostendit, ubi de fundatione laudati Conventus S.Dominici in Urbe Neapolitana verba facit: idipsum praecipue comprobatur ex vetusto MS.quod servatur in Bibliotheca S. Spiritus, ubi dum describuntur Con-

D ventus,

(a) *Ex Archivo S.Mariae Sanitatis* Protocollo I.

ventus, qui olim fuerunt Provinciae Regni, Conventus S. Dominici *de Summa* adferitur Ordini nostro concessus sub Pontificatu Nicolai IV. R. P. Anno MCCXCII. quo tempore dubio procul Neapolitani Regni Princeps erat Carolus II. Andegavensis, qui ab anno MCCLXXXV. ad annum usque MCCCIX. regnavit, ut praeceteris adnotavit idem Caesar Engenius Caraccioli in indice Regum Neapolitanorum. (*a*) Similiter est observandum, quod a laudato Rege non fuerit primitus idem Conventus Provinciae Lombardiae concreditus, sed posteriori tempore a Provincia Regni avulsus ab Alexandro VI. simul cum aliis ejusdem Provinciae Conventibus (*b*) fuerit Provinciae Lombardiae adgregatus. Alia addere fas mihi inpraesentiarum non est ex temporum injuria, feralique fato: Anno namque MDCXXXI. erumpentibus e Vesuvio monte flammis, locisque circumvicinis igne combustis, cinere obrutis, lapidibusque concussis, ac fere sepultis similem subiit jacturam noster Conventus, cujus praesertim Archivum in fumum abiit: quare nullum ex eo monumentum rimari permittitur. A Fratribus autem Congregationis S.Mariae Sanitatis in optimam formam laudatus Conventus, Ecclesia nimium perpolita & ornata, fuit restitutus; & quamvis ex decreto S.Congregationis eidem sint addicti XVI. filii, plures tamen semper ibidem aluntur. Adest hodie in eo Professorium Clericorum, seu Novitiatus Professorum, vigetque in eo studium Artium & Theologiae.

X. Conventus S.Mariae ad Vicum de Argentio, vulgo *Arienzo*, oppido ab Urbe Metropoli quindecim circiter milliaribus distante, & in Dioecesi S.Agathae Gothorum in Campania felici sito, hanc habet fundationem. Anno MCCCCXLIX. Nicolaus V. ad instantiam Marini Ruffo tunc utilis Domini Argentii Ecclesiam S.Mariae, *ad Vicum* dictae, simul cum horto contiguo dismembravit a mensa Episcopali S.Agathae Gothorum, & donavit Fratribus Praedicatoribus, ut ibi possent sibi domum & Conventum aedificare, salvis tamen dictae Ecclesiae reditibus, sive annuo censu. Anno autem MCCCCLX. Ferdinandus I. Rex Neapolis pia devotione erga Fratres ejusdem Conventus permotus

(a) *Caesar Engen.* Descrizione del Regno di Napoli.

(b) *Vide Theodorum Valle a Priverno* Huomini illustri della Provincia del Regno P. I.

tus adſignavit donavitque eis ex Regio aerario annuos ducatos trecentos, regiiſque impenſis Conventum aedificavit (ut uſque in praeſentem diem videre eſt in tegulis regio ſigillo eiſdem impreſſo ſignatis) aut ſaltem exiguam illorum domum in ampliorem nobilioremque redegit. In praefato Conventu permanſerunt Fratres Provinciae Regni uſque ad Annum MCCCCXCVI. quando, nimirum, laudatus Alexander VI. R.P. undecim Conventus ejuſdem Provinciae ab eadem avulſos (quos inter enumerabatur Conventus S.M.*ad Vicum* de Argentio) adgregavit Provinciae utriuſque Lombardiae, cujus Fratres ibidem permanſerunt uſque ad annum MDCI. & conſtans eſt veterum traditio ad nos perpetua conſenſione demandata S. Pium V. Pontificem Maximum, dum adhuc in Clauſtro maneret, ibidem Lectoris munus obiviſſe: quare ſemper iccirco fuit a Fratribus ejuſdem Conventus, & accolis loci ſpeciali devotione veneratus, fuitque poſtremis temporibus poſt ejus ſolemnem apotheoſin electus in Patronum ejuſdem loci, cujus propterea feſtum quotannis ſolemni ritu ac pompa ibidem celebratur. Laudato igitur Anno MDCI. inſtantibus D. Martio Carafa Matalunenſium Duce illius terrae Marchione, atque ejuſdem accolis, ſeu Univerſitate, a Clemente VIII. fuit adgregatus Congregationi S. Mariae Sanitatis. Conventus etſi vetuſto more formatus praegrandis eſt, adeſtque in eo diſtinctus ſeorſim locus pro Novitiis, qui diu ibidem permanſerunt, quinimmo fuit aliquando locus pro recipiendis ad habitum Novitiis deſtinatus, pluresque in libris ejuſdem Conventus, atque in aliis noſtrae Congregationis voluminibus leguntur Fratres, qui ibidem probationis annum peregerunt ad Annum uſque circiter MDCL. quando Alexander VII. unicum pro Congregatione Sanitatis ſtatuit locum Novitiatus, ſeu probationis Conventum, videlicet, S. Mariae Sanitatis. Sunt eidem Conventui S. Mariae ad Vicum ex decreto S. Congregationis adſcripti filii xx. Et ex Actis Capituli Generalis Bononiae MDCCVI. eidem Conventui Profeſſorium, ſeu Clericorum Novitiatus adſcribitur.

XI. Conventus S. Mariae Sanitatis Montisfortis in Dioeceſi Abellinenſi, & in Provincia *Principatus ulterioris*, xxiv. circiter ab Urbe lapide, primum aedificari coeptus pro Provincia Regni Ordinis noſtri a Johanne Baptiſta Loffredo, ejuſque conjuge Diana Caracciolo Anno MDCIII. cum proprio horumce, tum ejuſ-

dem Terrae communi aere, novaque itidem annua adsignata pecunia in alimoniam Fratrum, ut ex concessione Clementis VIII.(a) aperte constat: deinde completus & perfectus Fratribus S.Mariae Sanitatis fuit donatus. Quum enim laudati Fratres Provinciae Regni vix primo fere lapide posito ab illius aedificio declinaverint, & qui operi adsistebat inde recedens eo amplius non redierit, laudata Diana Caracciolo quod prius in votis habuit exsecutioni mandavit, pro Fratribus, nimirum, S.Mariae Sanitatis (sub cujus titulo ab initio fundandum studuit eum) inceptum Conventum cum Claustro & Ecclesia perfecit, ac eisdem nostris Fratribus, praevia licentia & adsensu Vicarii Generalis Ordinis F. Ludovici Ystella donavit eum, adsignatis fundis praediis atque reditibus pro istorum manutentione ibidem: & ne ullo unquam tempore laudati Fratres Provinciae possent aut instare, aut repetere, eadem Diana Caracciolo ad eundem Clementem VIII. confugit pro confirmatione posterioris hujusce donationis, & ab eodem R.P. obtinuit Breve (b), quo, rescissa priori donatione Fratribus Provinciae Regni facta, abrogatoque omni illorum jure, aut praetensione, jus Fratrum S.Mariae Sanitatis plene fuit firmatum. Ex decreto Sacrae Congregationis eidem Conventui, qui est Vicariatus, sunt adscripti filii VI.

XII. Conventus S.Dominici de Benevento (Civitate Pontificiae jurisdictionis, & Samnii Metropoli, in Provincia *Principatus ulterioris*) xxxii.ab Urbe lapide fundatus fuit Anno Domini MCCXXXIII. a Rofredo Epiphanio utriusque Juris peritissimo Patritio Beneventano, atque Cl.familiae, nunc extinctae, ex qua ortum habuit Daufrerius Epiphanius, qui ex Monacho Benedictino ad Summi Pontificatus apicem sub nomine Victoris III.evectus Coelitibus etiam fuit solemni apotheosi adgregatus (c). Ejusdem fundationis testis adhuc est marmoreus lapis, qui ad dexteram introëuntium in minori porta ejusdem Ecclesiae positus exstat, cujus haec est Gothicis litteris inscriptio juxta illius temporis scribendi simplicitatem:

„ Judex Rofridus in legum dogmate fidus
„ Doctor Epiphanides auctor fuit istius aulae.

„ Chri-

(a) *Breve Clementis VIII. dat.* die 3. Februar. 1603.

(b) *Breve ejusdem R. P. dat.* die 10. Julii 1605.

(c) *Vide Cl. Johannem de Nicastro Episcopum Claudiopolitanum* Pinacotheca Beneventana.

„ Christe, Maria, tibi, Dominice, Magdala, Paule
„ Judex Rofredus aeternum confero foedus, Cum uxore sua Traccia
„ Fratribus hoc munus, ut post miserabile funus
„ Nullus natorum possit transferre meorum
„ Jus patronatus est locus iste datus
„ Christi nascentis terdenis mille ducentis
„ Annis, & ternis: haec lector opuscula cernis.

Verum etsi impraesentiarum ibi exstet praefatus lapis, dubio procul ad memoriam primaevae fundationis ibidem fuit repositus me Beneventi tunc commorante Anno MDCCXV. Primitus quidem Conventus fuit exstructus extra portam Beneventanae Arcis, loco CL. circiter passibus distante ab eo, ubi impraesentiarum novus Conventus exstat erectus, ut ex ruderibus prisci Conventus conspicere est, & concors Civium, a veteribus recepta traditione, sententia est, & adsertio communis: concreditusque primo fuit idem Conventus Provinciae Romanae, quae tunc temporis utriusque Siciliae Conventus complectebatur, retinuitque usque ad tempora Coelestini V. R. P. quando instante Carolo II. Neapolis Monarcha Anno MCCXCIV. ex Conventibus in Neapolitano Regno exstantibus a laudata Romana Provincia evulsis fuit compacta Provincia Regni (a). Verum quo tempore fuerit intra Urbem nova Conventus exstructio peracta ignotum omnino est. Quando autem fuerit nostrae Congregationi adgregatus? si petas, certum annum certumque diem praefigere idem est ac divinare, deperditis scripturis ex variis terraemotibus, qui Urbem illam saepius concusserunt: ut autem ex variis Archivis colligere potui, certo certius circa Annum MDXC. illum nostrae Congregationis Fratres incolere coeperunt, qui itidem eundem Conventum semel & iterum terraemotibus solo aequatum reaedificarunt, ad nobilem certe formam postremo redactum, magnifico Templo, praenobili Sacrario, praegrandi Claustro, Bibliotheca haud despicienda pro qualitate loci, argentea S.P.Dominici eximia statua, cui similem nec in Urbe Neapolitana est demirari, ceterisque ornamentis ac paramentis, praesertim a Benedicto XIII. donatis, decoratum. Sunt eidem Conventui adscripti XII. filii ex decreto Sacrae Congregationis, sed universim hodie ibi degunt X. Sacerdotes, & V. Conversi, vigetque in

(a) *Vide Theodorum Valle* Huomini illustri della Provincia del Regno P.I.

in eo ſtudium Theologiae ſimul & Philoſophiae,quod in Capitulis Generalibus pro Congregatione S.Mariae Sanitatis adceptatur pro gradibus inferioribus in Ordine peragendis. Hodie itidem cum ex decreto Capituli Generalis Bononiae MDCCVI. tum ex ſpeciali conceſſione & licentia Sacrae Congregationis ſuper Diſciplina Regulari ſtatutum eſt ibi Profeſſorium,ſeu locus Clericorum S. Theologiae Studentium.

XIII. Conventus S.Mariae Gratiarum Plagiani (vulgo *Prajano*) in Dioeceſi Amalphitana,& in Provincia *Principatus Citerioris*, XL. circiter ab Urbe lapide,hanc habet originem & fundationem. In ſuperiori ejuſdem loci parte, ac in jugo montis juxta veterum morem, quando nondum pyrius, ſive tormentarius pulvis erat inventus, exſtructum erat Caſtrum ad refugium & munimen incolarum, praeſertim in Turcarum invaſione, quibus ex mari ad radices montoſi loci praeterfluente obnoxii ſunt illius, ſicut & circumjacentium locorum, accolae: in eodem autem loco,ubi olim Caſtrum erat aedificatum, exſtructum quoque ab antiquis retro temporibus erat ſacellum B. Virgini dicatum,ex loco dictum *S.Mariae ad Caſtrum*, atque ad inſerviendum huicce Eccleſiae pariter addicti fuerunt aliqui Eremitae, qui in planitiem deſcendentes & per loca circumſtantia gyrantes ex fidelium ſtipe ſibi & Eccleſiae providebant;ſed temporum injuria obſoleto & collapſo Templo, eidemque adnexis cameris dirutis, vix in pariete Deiparae imagine perſiſtente, Syndici & Electi illius Univerſitatis ad manutenendam reverentiam & devotionem erga Deiparam Virginem locum illum donare ſtatuerunt Fratribus S. Mariae Sanitatis, opportunis reditibus ad eorum alimoniam adſignatis, ut inibi ad populorum etiam ſalutem figerent lares. Parlamentum,vulgo dictum,innotuit Fratribus Sanitatis, pluries rogati fuerunt, diuque perduravit inſtantia Plagianenſium ab Anno, nimirum, MDXCI. ad Annum uſque MDXCVII.verum etſi ſemper renuerint antiqui illi PP.variis ducti momentis, vicit tamen illos caritas Chriſti, qua urgebantur, ut ſubvenirent fidelibus in montanis conſtitutis, praeſertim in exomologeſi, ac catecheſi: quare Anno MDXCIX. V. P. M. F. Marcus Maſſeus praevio adſenſu Magiſtri Ordinis adceptavit locum illum in Conventum erigendum,& die XXVI. Novembris ejuſdem Anni in realem poſſeſſionem ejuſdem intravit. Anno autem

MDC.

MDC. in Capitulo Generali Neapoli coacto fuit in Prioratum erectus, pluresque Fratres olim ibi adsignati manserunt, quamvis non plures quam VI. filii ei sint adnumerati: impraesentiarum autem pauci, quatuor, nempe, degunt ob loci inopiam, & defectum redituum, & qui eis praeest, adhuc titulo Prioris gaudet, & per consilium instituitur.

Praeter laudatos XIII. Fratrum Conventus, quibus tota Congregatio compacta est, alios pridem habuit Conventus, quibus temporum decursu sponte cessit, praesertim quum ob distantiam ab Urbe, & a Conventu principe, necnon ab integro Congregationis corpore, difficulter posset Vicarius Generalis adcurrere, ac occurrere necessitatibus Fratrum & Conventuum: quare ad Regularem observantiam exacte fovendam opportuniusque servandam existimarunt recteque judicarunt Veteres nostri in beneficium aliarum Provinciarum, quibus opportuni erant, illos renunciare. Hi autem fuerunt Conventus Castellanetae in Provincia Terrae Hydrunti, & Ferrandinae in Provincia Lucaniae, quos nostra Congregatio concessit Provinciae S.Thomae de Apulia. Conventus Guardiae in Provincia Calabriae Citerioris, quem concessit Provinciae S.Catharinae Senensis, de Aprutio dictae, & Conventus Collis Anchisii in Provincia Comitatus Molisii, qui a nostris derelictus postea fuit suppressus. Adsunt quoque in Neapolitana Civitate quatuor Grangiae Monasterii SS. Petri & Sebastiani, quibus regendis e nostra etiam Congregatione Fratres adsumebantur, nimirum, Grangiae S. Rochi ad Olympicam Oram, S.Leonardi ibidem, S. Luciae ad mare, & S. Mariae Magdalenae supra pontem magnum: verum eos inde, revocavit P.M.F.Gregorius de Areylza (de quo infra), quum munus Visitatoris Apostolici in Regno Neapolitano exercuit, ad firmandam observantiam Regularem a Nostris in Conventibus formatis custodiendam. Fuerunt itidem alibi statuti ex plenatio concilio Civium Conventus erigendi pro nostra Congregatione, destinatique, ac donatione adsignati loci, praesertim in Civitate Litterarum in memoriam N.V.P. F. Johannis-Leonardi de Fusco, in Terra Marthenisii Dioeceseos Capuanae in monimentum N. V.P.F.Marci Maffei, Civium eorundem locorum sanctitate inlustrium, qui e laudata Congregatione prodierunt; quamvis ad fundationem eorum variis ex caussis, praesertim ex defectu Universitatum

tatum, quae variis calamitatibus depraessae, ut notum est cunctis, ad exsecutionem voti ac promissionis pervenire non potuerunt.

Adest etiam Fratribus nostrae Congregationis commissa cura & spiritualis directio duorum Sanctimonialium Parthenonum, quorum fundationis notitiam tradere oportet ad Prolegomeni complementum. Sunt autem haec Monasteria SS. Petri & Sebastiani, nec non S.Catharinae Senensis in Urbe Neapoli, de quibus singillatim.

Regale Monasterium SS.Petri & Sebastiani sic dictum, quia ibi primum fuit Oratorium exstructum (ut ferunt) jussu Constantini M.Imperatoris, & in memoriam S.Martyris Sebastiani, quo tandem fuerunt translatae Moniales, quae in Monasterio S.Petri, ad Castrum Lucullanum dicti, vota sua reddiderant Deo: quare ex utroque titulo dictum fuit Monasterium hoc SS. Petri & Sebastiani. Ab initio Gynaeceum hoc Sacrarum Virginum sub regula S.Basilii degentium fuit concreditum curae PP.ejusdem S.Basilii: deinde tempore Martini V. R. P.Benedictinis fuit commissa spiritualis Monialium cura: instante vero Maria Caroli II. Regis Siciliae conjuge a Bonifacio VIII. R.P.Monasterium fuit Praedicatorum directioni, ac jurisdictioni adjudicatum (a): verum tempore Callixti III. R. P. die xxı. Octobris An. Domini MCCCCLVI. Francisca Ursina Johannis Manupelli Comitis filia (quae, defuncto viro Antonio Martiano Suessae Duce, mundi spretis illecebris se Deo dicaverat in habitu poenitentiae S.P.Dominici) simul cum pluribus nobilibus piisque feminis in illud ingressa invexit Regulam Sororum S. P. Dominici, simulque cum eis eandem Regulam fuit professa, & Priorissae munus ad obitum usque exercuit, & tunc immutata Regula fuit etiam idem Monasterium subjectum jurisdictioni & authoritati Magistri Ordinis, qui ex diversis Provinciis Priorem & Confessarios ibidem ad curam & directionem Monialium adsignavit, quorum elenchum exhibet Vetustum Chronicon MS. sinceritate ac simplicitate magna elaboratum a Sorore Hieronyma Ursina Ann.MDXXVIII. quod servatur in Bibliotheca S.Spiritus: Bulla autem exstat in Bullario Ordinis (b). Tandem die ıv. Martii MDCLX. Alexander VII.

(a) *In Bullario Ordinis Praedicatorum* Tom.II. pag. 357.

(b) *Bullar. Ordin.* Tom.II. pag. 357.

VII. R. P. instante recolendae memoriae F. Johanne Baptista de Marinis Magistro Ordinis decrevit, quod manentibus eisdem Sanctimonialibus sub immediata jurisdictione Magistri Ordinis pro tempore, nonnisi Fratres Congregationis Sanitatis earum curam haberent, ex eaque Congregatione dumtaxat Magister Generalis Ordinis seligeret Priorem, Confessarios, ceterosque Fratres ad illarum curam & directionem. (*a*) Adsunt semper ibi ex eadem Congregatione a Magistro Ordinis, plenaria in eis ad sui lubitum deligendis potestate fungente, adsignati octo Fratres, IV. Sacerdotes, Prior, nimirum, duo Confessarii, & Syndicus, & totidem Conversi. Monasterium autem, utpote Regum cura fundatum, & regia dote locupletatum, innumeris gaudet Privilegiis, quae autographa, & authentica in ejusdem Monasterii magnifico ac revera celeberrimo Archivo servantur: nonnulla autem exstant variis in Processibus, qui servantur in Archivo Regalis Jurisdictionis; habetque pariter quatuor supra enumeratas Grangias cum aliis Capellis in Urbe, de quibus consulantur Scriptores de eodem Monasterio agentes.

Monasterium S.Catharinae, & Victoriae de Neapoli in Conservatorium puellarum, seu in Collegium Sororum Tertiariarum erectum a F.Feliciano Zuppardo de Nola Provinciae Regni, & ab eodem, ut post sui mortem Fratribus Congregationis S.Mariae Sanitatis concederetur, impetratum, ejusdem Congregationis Fratrum curae fuit commissum a Paulo V. R. P. die 30. Aprilis MDCXVI. Verum quia post obitum laudati F. Feliciani sensim deficientibus eleemosynis, quibus alebantur puellae religiosae ibidem in Conservatorio degentes, ad pauperiem redactae quamplures inde egressae ad proprias domus redierunt: cura Fratrum nostrae Congregationis adpositis adquisitisque reditibus, praesertim ex dote recepta in cujuslibet ingressu, ad talem fuit formam redactum, ut potuerit in Clausuram erigi Anno MDCLXII. quod praeceteris adnotandum curavit N.P.M.F.Gregorius de Areylza in MS. Adlegatione, quae servatur in Archivo S. M. Sanitatis (*b*), ut discernatur status primaevae fundationis a

E poste-

(a) *Bullar. Ordin.* Tom.II. pag. 647. & 644. *necnon* Tom.V. pag.348.

(b) *Archiv. S.M. Sanit.* Protocollo I. *ubi etiam exstant aliae Scripturae ad idem Monasterium spectantes.*

(c) *Exstat Breve Pontific. in Bullar. Ord.* T.V. pag.705.

posteriori omnino mutatus: ac propterea utile nimium est eandem adlegationem non peregrinante oculo rimari, ut, quae competant nostrae Congregationi, jura recta lance librentur. Similiter in Bulla Pauli V. adnotandae sunt gratiae Priorissae indultae tempore, quo Monasterium aedificabatur, quibus post peractam fundationem nullatenus gaudent, ad evertendas vanas quarundam praetensiones: praesertim quum gratiae eisdem in laudata Bulla concessae priorem respiciant statum, Conservatorii, videlicet, erigendi, qui status omnino impraesentiarum est variatus ex jam peracta absolutaque Monasterii ac Clausurae fundatione. Degunt ibi quinque Fratres ex eadem Congregatione adsumti, duo Sacerdotes, nimirum, Confessarius, qui etiam titulo Prioris gaudet, & Syndicus, necnon tres Fratres Conversi; Vicarius Generalis Congregationis autem curam Spiritualem & jurisdictionem omnem in Moniales & Fratres ibidem adsignatos exercet, & Monasterii visitationem realem ac localem intus & extra quotannis habet. Legendus est etiam Caesar Engenius Caraccioli, (a) qui cum erudite nimis pertractet de omnibus Neapolitanis Ecclesiis ac Monasteriis, diffuse etiam de Monasterio S. Catharinae Senensis verbum habet.

Praeter laudata duo Sanctimonialium Monasteria curae Fratrum Congregationis S. Mariae Sanitatis commissa, alia est percensere Gynaecea olim concredita eisdem. Monasterium quippe S.Mariae Aegyptiacae ad portam Nolanam, extincto Ordine Conventualium Reformatorum, cujus curae illud pridem erat commissum, ex decreto Clementis VIII. An. Dom. MDCII. fuit concreditum Fratribus S. M. Sanitatis, ut hi Monasterii Sanctimonialibus Sacramenta ministrarent, sicut Caesar Engenius etiam memoriae prodidit (b), & ex Archivo Sanitatis constat; ex quo posteriori habetur, quod onus hoc, quum per XXII. Annos laudati Fratres subiissent, pluribus tandem porrectis precibus deposuerunt. Similiter Monasteria S. Mariae Magdalenae prope portam Nolanam, & Conceptionis Deiparae pro Hispanica natione ab Anno MDC. ad Annum usque MDCXXIV. ex Pontificio decreto concredita fuerunt nostrae Congregationi, & immediate subjecta Vicario Generali ejusdem Congregationis,

(a) *Caesar Engen.* Napoli Sacra pag. 576.

(b) *Caesar Engen.* Napoli Sacra T.I. pag. 425.

nis, sed laudato Anno MDCXXIV. P. M. F. Cornelius Avitabile tunc Vicarius Generalis a S. Sede obtinuit, ut iisdem nuncium mittere posset, exstantque ea de re authentica monumenta etiam in Archivo Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae. Monasterium S. Johannis Baptistae sub spirituali directione V. P. F. Johannis Leonardi de Fusco Confessarii ordinarii per plurimos annos mansit. Regalis Domus S.Mariae, *de Soledad* dictae, pro puellis Hispanicae nationis, non procul a Regio Palatio, pariter per plurimos annos habuit Confessarios ordinarios e nostra Congregatione (ex Regula autem ejusdem loci quatuor dumtaxat Religiones taxantur ad hoc munus obeundum, Praedicatorum, videlicet, Minorum, Clericorum Regularium, & Societatis Jesu) manetque a sua fundatione ad haec usque tempora sub quadam jurisdictione Conventus S. Spiritus, cujus Prior dumtaxat ad habitum Dominicanum (cujus institutum illae colunt) recipit puellas, in die SS. Rosarii concionem habet, & absolutionem in articulo mortis, sive per se, sive per alios indulget, adplicando SS. Rosarii indulgentias eo in agone constitutis. Monasterium itidem *Divini amoris* a nostris Fratribus veluti fundatum, excultumque ab initio per plurimos annos fuit, ut infra dicetur. Innumera itidem Sanctimonialium Monasteria pro tempore dirigenda Fratribus laudatae Congregationis fuerunt concredita ab Archiepiscopis Neapolitanis: & impraesentiarum Monasterium Ordinis in Civitate Montisfusci per plura lustra nonnisi ex nostra Congregatione petit Directores & Confessarios: similiter & plura alia, cum Ordinis nostri, tum aliorum Ordinum saepissime, & multoties continuata annorum serie ex nostra Congregatione habuisse Directores, Praesides, & Confessarios, vel a Magistro Ordinis, cui subsunt, ut Monasterium S. Annae Nuceriae Paganorum, vel a suis Praesulibus, ut in Urbe Beneventana Monasteria S. Petri, & S. Victorini, Monasterium Canonissarum Regularium Argentii, & alia gloriantur. Et haec ita per synopsin quandam descripta sufficiant ad Prolegomenon hujusce opusculi: Si quis autem ulteriora exoptat, alios consulat Scriptores, ex quibus dilucide plura conliget ad notitiam uberiorem.

DE VIRIS SANCTIMONIA INLUSTRIBUS

LIBER I.



UM primo primumque,& jure summo,a Viris Sanctimonia conspicuis exordior, fas mihi esse censui nostrae Congregationis Fundatori primum concedere locum, etsi primus ille non fuerit, qui ad coelestem patriam evolavit, sed alios ante se transmisit ad Coelum & proprii meriti coronam percepturos, & in suae gloriae praecursores. Ab eo autem consulto incipiendum duxi, quia primus sua probitate aliis bene vivendi, proficiendique in virtute praestitit exemplum; quique eam Domino erexit domum, sacravitque locum, unde tot viri sanctimonia insignes prodierunt. Post hunc vero debita servata chronotaxi natalis eorum adnotabitur, qui (ut pie creditur) post mortale funus in terris, nasci meruerunt in Coelis: atque de iis ex professo agam, quorum acta ex certis authenticisque monumentis conligere licuit, praesertim quae publici juris facta ad meam notitiam pervenerunt. Et quamvis nonnullos alios laudare itidem possem, qui in nostra Congregatione cum Sanctimoniae laude floruerunt,quum Divina favente clementia in eadem ab initio suae fundationis ad praesentem usque epocham vera devotio claruerit, omnique tempore effulserint viri eximia probitate clari, ii praecipue, qui sub initium nostrae Congregationis primitias spiritus habuerunt: tamen quia temporum injuria plurium acta perierunt, aliorum gesta non fuerunt nobis scripto mandata a primoribus ceterisque majoribus, qui potius imitari, quam laudare studuerunt suorum sodalium virtutes, ex professo de eisdem verbum facere abstineo: verum ne omnino pereat aliquo-

rum

rum memoria, quos summi juris est commendare, in calce post recensita plurium acta, vel breviter eos indigitabo, qui post se immortale reliquerunt nomen, omnium fere, si fieri potuerit, enunciato emortuali die & anno.

Quamvis autem ad hanc priorem classem spectent alii, qui etiam sanctimonia insignes, doctrina itidem, aut dignitate inlustres fuerunt, & propterea ad posteriores duas classes, aut alterutram earum pertineant, heic tamen consulto praetermittendos eos duxi, ne ordinem perverterem; quod pariter in eisdem posterioribus classibus est observare, ut, scilicet, recta methodo tota historia texatur: quare vel ad notitiam satis erit in calce cujuslibet libri eorum pingere nomen, qui etiam alibi adnotantur. Nec quidem capitulis libros distinguam, sed solummodo numeris, veluti tot paragraphis, quot sunt laudabiles viri: adcurata, sed brevi descriptione, eos absolvam, ut confestim prae oculis legentium ponitur.

I.

P. Magister F. Marcus Maffei in Terra Marthenisii (vulgo *Marcianise*) Capuanae Dioeceseos, ac in Provincia Terrae laboris, sive in Campania felici, ex Gissino Maffei, & Dominica Cipullo conjugibus Anno MDXLII. natus ab infantia Deum timere coepit: quum autem Anno MDLIX. quidam Ordinis nostri Ecclesiastes Quadragesimali tempore conciones ad populum in sua patria habuisset, tanto ex eis Divino ardore flagrare, talemque erga institutum Concionatoris amorem fovere coepit, ut precibus etiam ac lacrymis pluries habitum Ordinis expetierit: variamque propterea repulsus, ac examinatus, ut ejus vocatio ad lydium lapidem probaretur, tandem re bene cognita Clericali habitu fuit indutus in Regali Conventu S. Dominici de Neapoli die XVII. Octobris ejusdem Anni MDLIX. Virtutem, quam in saeculo coluerat, in Novitiatu magis magisque promovit: orationi addictus, pluribusque iis exercitationibus ad Sanctorum exempla captanda deditus, de virtute in virtutem in ipsis primordiis suscepti habitus proficere visus est: ad majora autem contendens dum in solemni professione se Deo per vota sacravit, ardentius perfectionis adripuit iter: verum ad nobiliora tunc pervenit, quum Presbyterio inauguratus amoris victimam ac virtutis holocaustum se Christo dicavit. Qui autem ita spiritu pro-

profecit ſub initium ſuae juventae, a litterarum ſtudio non abſtinuit, ut veri Dominicani partes expleret: quare Sacerdotio initiatus & Bononiam Studiorum cauſſa miſſus inſignia ſui ingenii eo in celebri Collegio monumenta prodidit: hinc ibidem ad defendendas Theologicas Concluſiones in Capitulo Provinciali pro eadem Provincia delectus, tanta eruditione ſubtilitate ac claritate eas propugnavit, ut confeſtim licentiatus, juxta Ordinis conſuetudinem, fuerit Lectoratus laurea inſignitus; tantaque ſedulitate deinceps ac ſingularitate impoſitum ſibi munus exercuit, ut pluribus in locis ſuae Provinciae, & tandem in Congregatione S. Mariae Sanitatis, per plures annos edoctis e cathedra diſcipulis, per omnes ſcholaſticos agones ad Magiſterii lauream meruerit promoveri. Nec quidem in litterariis ſtudiis ab exacta Regulari obſervantia per volam, aut per hilum declinans, omnium factus exemplar, ut ceteros quoſque ad eam tenendam ſemitam promoveret, pluribus regendis Conventibus fuit praefectus, nimirum, Salernitano S. Mariae ad Portam, Abellinati SS. Annunciationis, Neapolitano SS. Roſarii, ac S. Birgittae ad Pauſilippum: Novitiorum quoque educationi praepoſitus in Conventu S. Petri Martyris de Neapoli mira prudentia demandatam ſibi ſpartam explevit. Aemulans autem chariſmata nobiliora, ſecutuſque viam B. Raymundi de Vineis Capuani, & Ordinis noſtri Generalis Magiſtri (qui ad reſarcienda, quae Ordo pertulerat, damna ex lue in Italia graſſata, praecipue ex obitu inluſtrium Virorum, ac concludenter ex relaxatione avitae Regularis obſervantiae, ſeligere Conventus ad exactiorem cuſtodiam Sacrarum legum, & Congregationes fundare ſtatuit, & quod decrevit, exſecutioni mandavit, nec ſine magno beneficio, ut notum eſt nobis, necnon perſpicuum eſt cunctis ceteris in Eccleſiaſtica, & Monaſtica hiſtoria eruditis) ipſe quoque in peculiari ſelecto Coenobio viros ſuo ſpiritu praeditos pariter congregare optavit ſtuduitque, ut inibi ad amuſſim Conſtitutionum ſine ulla diſpenſatione vota ſua redderent Deo, qui Deo inſervire ex animo vellent; educatiſque ibidem alumnis eodem caritatis igne ſuccenſis facillime ceteris Conventibus ad promovendam exactiorem eam obſervantiam provideri poſſet: quod autem mente conceperat, ac corde fovebat, diu inſudavit, ut poſſet explere ſub duobus Ordinis Generalibus Magiſtris; res autem ei

pro

pro voto cessit sub generalatu Xysti Fabri, dum Ecclesia, seu potius aedicula S.Mariae Sanitatis fuit concredita Fratribus Praedicatoribus. Eo namque convolans cum sociis supra enunciatis, haud facile dictu est, quas ibi sui spiritus flammas diffuderit in Deum totus effusus, qui non sui gloriam ex novitate vivendi, non ex ambitione honores sibi captare pertentabat, sed solummodo reformationem morum in alumnis aliorum Conventuum, in recipiendis spiritus perfectionem, in Ordine sanctitatem, proximorum salutem, & Dei gloriam desiderabat, & potius subesse, quam praesse cupiebat; quinimmo ad exinanitionem sui spiritus anhelabat: quapropter dum M. Ordinis ad directionem & probationem ejusdem N. Servi Dei & Sociorum laudatos exteros Superiores eis praefecit, humilitate magna, obedientia exacta, hilaritate summa eisdem morem gerere; eorum mandata servare sacrum ei fuit, atque in omni humilitate semetipsum exercere, verrendo sordes, legumina purgando, deferendo aquam, ostiatim emendicando stipem, qui in urbe notus ac in existimatione magna erat, in terra sedere cum Novitiis, adhuc dum Lectoris ac Supprioris munus exerceret, ceteraque obeundo vilia ministeria, volupe ei fuit ac perjucundum: similiter ad unguem observare rigorem, ac nullatenus sibi parcere solemne ei fuit. Sub speciali autem cura M. Ordinis constituto jam laudato Sanitatis Conventu eidem fuit Prior praefectus, & deinde jussu Clementis VIII. (cui ob eximias virtutes percarus erat, dictus propterea ab eodem R.Pontifice *vir magnae Sanctitatis*) ejusdem Congregationis *Sanitatis* jam coalescentis ex adjunctis principi Asceterio ceteris Conventibus primus Vicarius Generalis datus, deinde institutus Prior Provincialis Provinciae Regni (a qua semel & iterum fuit electus Diffinitor Capituli Generalis) quanta dexteritate, qua prudentia, quave vigili observantiae Regularis custodia demandata sibi munera impleverit satis superque notum est cunctis; & vel ex eo praesertim clarescit, quia idem Summus Ecclesiae Hierarcha ejusdem F. Marci pespecta virtute spiritus, ac regendi dexteritate, eum creavit Vicarium Generalem ac Visitatorem Congregationis Aprutinae (nunc Provinciae S. Catharinae Senensis) Visitatorem ac Commissarium Generalem omnium Conventuum Provinciae utriusque Calabriae, quinimmo etiam, Procuratorem Generalem Ordinis,

ac

ac demum Viſitatorem Apoſtolicum Congregationis reformatae Eremitarum S.P.Auguſtini, *ad Carbonariam* dictae, ex Principe Conventu S.Johannis *ad Carbonariam* Neapoli exſtante: inquibus omnibus muneribus ac curis Dei ſervus non quaerens quae ſua erant, ſed quae Jeſu Chriſti, laboribus non pepercit, incommoda toleravit, pericula, etiam mortis, non effugit, ut omnes Chriſto lucrifaceret, vel ad meliorem frugem revocando, aut in nobili propoſito ceteros confirmando; ſemperque Deum prae oculis habens humilitate ſimul caritate ac conſtantia fretus abuſus evellere, promovere obſervantiam, coërcere diſcolos, fovere probos, parcere contritis, corrigere errantes, ad meliora cariſmata cunctos excitare non deſtitit, paratus ſemper animam ſuam dare pro fratribus ſuis ad Chriſti & Eccleſiae decorem.

Virtutibus omnibus adeo eluxit, ſuaeque ſanctitatis radios nedum in Ordine, verum & apud omnes tam mire diffudit, ut omnes in eo potuerint demirari verum Iſraëlitam, in quo dolus non erat, quive Chriſti imaginem in ſe praeſeferret, ad mortem uſque Baptiſmali ſtola ſervata. Fides namque vera, & viva ita ejus mentem ac animum occuparat, ut lubentiſſime ſanguinem cum vita fudiſſet in ejus vindiciam: quare ſenex eſto ac viribus fractus, ut in Orientem mitteretur converſurus Mahometanos ad fidem, & Schiſmaticos ad Eccleſiæ unionem perduceret, enixe rogavit; ſed a Deo ad alia ſervato, non fuerunt ejus preces exauditae: utque fidem, quam corde fovebat, ore magis, magiſque proteſtaretur fervidus Chriſtianus, ut in choro integrum cantaretur Symbolum Conſtantinopolitanum inter Miſſarum ſolemnia diebus ab Eccleſia ſtatutis praecepit, ipſeque ſumma animi devotione ac ſpiritus alacritate, animique ſubſultu adcurrebat ſemper ad illud cantandum, omni re alia, quamvis ſeria, ſi ea fuiſſet tunc temporis detentus, actutum demiſſa. Spe maxima munitus in Domino ſemper confiſus, & fiducia magna fretus ex meritis Chriſti Jeſu Servatoris nullo concutiebatur terrore, nulla adverſa ſuggeſtione trepidabat, habens cum Apoſtolo fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti. Caritas Dei ita in ejus corde exarſit, ut nonniſi Deum ſummum bonum habuerit ſuarum omnium actionum finem & ſcopum; tantoque in Deum ferebatur amore, ut omnia terrena floccifaciens pro illo

pati

pati & mori etiam exoptaret: utque caritatis praecepta, & Dei mandata ea in re servaret, proximum parili dilectione pro Deo prosequens, animam suam ponere pro fratribus suis non refugit, & anathema esse pro illis non dubitavit: Orationi itidem summe addictus totus rapiebatur in Deum divina mysteria adiente meditans, ac sedula consideratione revolvens; ac subventurus proximis totus incumbens, omnibus omnia factus, consolabatur adflictos, timidos elevabat, compatiebatur infirmis, debiles erigebat, cunctos vel ad poenitentiam, vel ad majorem Dei dilectionem promovebat: quo ex momento saepissime per vicos & plateas, per villas & castra, praesertim ut rudem plebem erudiret, ac pauperes foveret, indefessus circuibat, illorum confessiones excipiendo, & spiritalem alimoniam ministrando, temporali quoque subsidio indigentibus praestito; nec facile est explicare quid egerit in regimine constitutus, ut suos subditos, quos veluti carissimos filios diligebat, erigeret, foveret, consolaretur, omnibus idcirco providens in necessitatibus, in angustiis, in infirmitatibus: quapropter Deus evidenti miraculo tanti Viri caritatem voluit mundo patefactam. Quum enim Priorem ageret in Conventu S. Dominici de Vesuvio, caritate motus erga pauperes, ad eum veluti ad patrem confluentes, quantum potuit eis subvenit, erogataque in eorum stipem integra fere provisione Conventus, dolium vini jam penitus evacuatum coelitus repletum reperit, ut posset eisdem subvenire, & Conventui providere. Qui autem erga proximum tanta erat benevolentia detentus, adversus semetipsum tamen ita severus erat, ut sibimet velut hostis implacabilis videretur: lineis numquam usus, nec etiam in infirmitate carnem comedit, itinera pedes agebat: heinc adhuc post missum nuncium muneri Procuratoris Generalis Ordinis Roma Neapolim rediens solo baculo contentus venit ad principem Regni Urbem, quinimmo adhuc in alma Urbe eo in gradu constitutus, senex esto, currum recusavit, etiam dum varias Congregationes, ac dissitas Cardinalium aedes petere debebat, omnemque fastum semper abegit, eum etiam, qui ad commoditatem deserviebat. Paupertatis autem adeo sedulus custos effulsit, ut nec minimum quid in eo esset intueri, quod vel leviter illam laedere posset: quare post regressum ab Urbe, pecuniam, quae ex annuo proventu adsignato Procuratori Generali superarat

 superarat

pererat ei, Conventibus S. Dominici, ac S. Mariae Sanitatis distributam erogavit, nec obulo quidem sibi, aut ad sui usum, retento. In humilitate vero eximius & admirabilis semper ad sui contemtum adspiravit: iccirco tunc hilaris vultu, ac corde gaudens exsultabat, quum injuriis oppetitus, vel alia contumelia adfectus ceteris despectui erat; quod praecipue tunc in eo praeluxit, quum ad rectitudinem servandam in propria sententia manens, nec precibus nec minis Equitis cujusdam cedere volens, ab eo alapa in facie percussus, nullimode exasperatus percussori libenter dimisit; quamvis Dei ultionem in temerarium sacrilegumque imminentem, sibique divinitus revelatam, eidem, serena tamen fronte, ad ejusdem profectum, enunciare non destiterit: quod vero praedixit, evenit, & ut praenunciavit, ita factum est: post sex namque menses phthisi ille correptus, ad mortem juvenis adhuc properavit, qui haeredibus carens bona sua Conventui Sanitatis (ubi Venerabilem Fundatorem alapa percusserat) testamento legavit. Devotione maxima effulsit, omniumque virtutum corona decoratus, dilectus Deo & hominibus, innocuam sanctamque vitam duxit in terris. Laboribus ergo annisque onustus ad extremum vitae devenit, pluribus doloribus alacriter toleratis, hilari tamen vultu, semperque Dei voluntati conformis, identidem illud Augustini repetebat. *Hic ure Domine, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas*; suosque alumnos ad Regularem observantiam, ac sanctimoniam omnem ferventi admonitione exhortatus, praegrandi devotione Sacramentis Ecclesiae susceptis, ac Dominica Passione juxta sui votum coram se alta voce recitata, summa animi ac vultus serenitate ad Dominum transiit die xv. Martii An. Domini MDCXVI. aetatis vero suae LXXIV. immutato confestim in ipsomet felici suae animae transitu faciei adspectu ex rigido & aspero in lenem, suavem, ac pulchrum, ad consolationem intuentes commovente in signum coelestis obtentae gloriae, quae etiam in extincto cadavere relucebat.

Ad ejus funus turmatim, tantoque impetu, ex omni sexu omnique conditione fideles discerpturi vestium particulas confluxerunt, ut ne in frustra quoque cadaver ejus dilaceraretur, necesse fuerit, adhibitis custodibus, illum claudere intra cancellos Capellae Sanctissimi Nominis Jesu (ubi etiam deinde in peculiari loco

loco repositus, secundam stolam in generali resurrectione exspectans, requiescit) eumque omnes uti sanctum venerantes, deosculati sunt ejus manus & pedes. Ad ejus sepulchrum itidem assidue confluentes plurimas ob ejus intercessionem a Deo gratias obtinuisse testati sunt, qui eum in suis necessitatibus interpellarunt, adpensis propterea in signum obtentae gratiae ad ejus sepulchrum depictis tabulis, cereis, argenteisve imaginibus, ceterisque anathematibus (quae tamen omnia ob generale decretum Urbani VIII. fuerunt inde remota) Plura post mortem patrata ab eo prodigia comprobata pariter exstant in Processu ordinaria authoritate pro ejus Beatificatione in Neapolitana Archiepiscopali Curia confecto, & passim percensentur ab iis, qui ejus Acta scripserunt, praesertim a N. N. Joanne-Michaële Lopez Episcopo Monopolitano (*a*), & Dominico Marchesio Episcopo Puteolano (*b*). Summis laudibus itidem eum, ejusque sanctitatem commendarunt Caesar Engenius, (*c*) N. N. Angelus Florillo, (*d*) Theodorus Valle (*e*), Vincentius Fontana, (*f*) & novissime Jacobus Echard (*g*), qui nostrum Ven. Fundatorem inter Scriptores Ordinis conlocat, plura ejus MSS. commemorans, praesertim Latinas Orationes, seu sacras Conciones in Apostolico Palatio coram Summo Pontifice primis Dominicis Adventus, & Quadragesimae habitas, cum Procuratoris Generalis munus obiret. Lubet autem heic in ejus laudem solummodo transcribere, quod N. Cl. Gravina memoriae tradidit, & quod in Comitiis Generalibus Ordinis de eo testati sunt Patres omni gloria digni. Gravina namque ita de eo loquitur: (*h*) „ Noster Frater Marcus „ de Marthenisio Procurator Generalis Ordinis, qui jugum Do„ mini in Religione ab adolescentia usque ad Annum 74. uni„ formiter & exacte & indefesse portavit, cum sanctitatis opi„ nione moritur, & clarus mundo extitit, qui seipsum quoque „ a se ipso occultavit. Neapoli tumulatus est in Coenobio S. Ma„ riae Sanitatis, ejus vita & signa Neapoli ordinario processu

 „ ordi-

(a) *Joh. Mich. Lopez* Hist. dell' Ord. di S. Dom. P. V.

(b) *Dominic. Marches.* Diario Domenicano T. II,

(c) *Caesar Engen.* Napoli Sacra T. I.

(d) *Angelus Florillo* Origine e progressi del Rosario.

(e) *Theodor. Valle*. Huomin. Illustr. della Provincia del Regno P.IV.

(f) *Vincentius Fontana in* Theatr. Dominican.

(g) *Jacobus Echard* Scriptor. Ord. Praedicat. Tom. II. pag. 401.

(h) *Dominic. Gravina* Vox Turturis P. II. cap. 13.

„ ordinantur „. In Capitulo Generali Ordinis coacto Olyſipone Anno MDCXVIII. ſub Magiſtro Generali F. Seraphino Sicco ita commendatur in Catalogo eorum, qui cum opinione Sanctitatis deceſſerunt. „ In Provincia Regni in Conventu S. Mariae Sani-
„ tatis de Neapoli Congregationis Reformatae obiit P.M.F.Mar-
„ cus de Marthenifio unus ex praefatae Congregationis inſtitu-
„ toribus, qui toto vitae decurſu Conſtitutionum noſtrarum
„ cuſtos fuit exactiſſimus.

II.

F. Thomas Marzani in terra Cupertini, Provinciae Hydruntinae, Dioeceſeos Neritinae, ex patre U.J.D. Sternatiae nato ortus, ab infantia Deum timere coepit, & creſcens aetate etiam virtutibus profecit. Puerulus eſto humanioribus litteris deditus ſerio illis navavit, brevique profectum in eis oſtendit: quare Neapolim ſtudiorum cauſſa miſſus, ibidem & ſcientiae mentis, & cordis doctrinae ita ſe totum adplicuit, ut inter coaevos ac condiſcipulos mira virtute reſplendens cunctis fuerit ſtimulo ad capeſſendam utriuſque virtutis ſemitam. Cum oris venuſtate virginalem caſtimoniam copulavit, quam ad mortem uſque inlibatam cuſtodivit:cum litterarum ſtudio carnis macerationem & pietatis opera ſociavit: Noſocomia inviſere ad inſerviendum infirmis, carceres perluſtrare ad ſubveniendum incluſis, Templa frequentare ad Dei cultum & venerationem Sanctorum,ſacro epulo frequenter recreare ſpiritum, ac verbo Dei promovere animum ad virtutis incrementum ſanctum & ſolemne ei fuit: quapropter ex tunc coeleſtibus donari coepit favoribus,praeſertim in pervigilio Nativitatis D.N.Jeſu Chriſti hiſce coeli deliciis recreatus ceteris itidem adparuit, qui recedens ab omni conſortio terreno, ut Paradiſi dulcedine frueretur, in ſtabulum ad contemplandum ineffabile Nativitatis Dominicae arcanum oraturus adceſſerat: ibi enim repertus a domeſticis (qui diu eum conquiſitum per reliqua domus loca non invenerant) viſus eſt totus in Deum raptus, ac in oratione palmi altitudine a terra elevatus coeleſte lumen e vultu circumquaque diffundere, & toto corpore pariter eadem luce circumdatus ac inradiatus. Ut autem facilius feliciuſque Deo ex corde inſerviret, ad quem totus ex animo ferebatur, non ſecus ac cervus ad fontem aquarum (quod in agone mortis laetanter expreſſit,illud Davidicum repetens:*Sicut cervus deſide-*

desiderat ad fontes aquarum , ita desiderat anima mea ad te Deus &c.) ad Conventum S. Mariae Sanitatis sub initium rigidioris observantiae convolavit, & enixe, ut inibi ad inserviendum Deo cooptaretur, petiit rogavitque; factusque sui voti compos vix expleto XV. aetatis suae anno sacro habitu fuit indutus die VII. Martii An. Dom. MDLXXIX. Quantum vero profecerit in claustro, qui adhuc in saeculo degens virtutis exemplar effulsit, quis poterit plene & exacte enarrare? Si humilitatem virtutum omnium fundamentum rimeris, hanc, quam saecularis coluit, nullam pertaesus injuriam, nulla confusione, contumelia nulla exasperatus, hieropaeus ita sibi voluit copulatam, ut ad sui exinanitionem usque pervenisse videretur: omnibus inserviebat aeque ac foret omnium emtitius servus, dictus propterea communi omnium voce Novitiatus asellus; nec perperam, nec tristis, sed adcurate & hilaris omnibus inservire studebat: nulla adversa re moestus, nulla injuria exacerbatus gaudebat in increpationibus, si fortasse ad exercitium suae virtutis eas subire contingebat: cujus rei celebre monimentum praebuit, quum enunciata ei a Novitiorum Magistro sui genitoris morte, quia vir Dei totus divinae voluntati conformis erat, nullum vel levem expressit sui animi dolorem, ex quo prudenter timuit Magister ne fortasse stoliditate quadam foret detentus, ex qua nec foveret adfectionem erga suos (quod & in ipsis Ethnicis, ac barbaris Paulus detestatur) ad correptionem fortasse, si ita se res haberet, aut ad probationem spiritus, si e contra foret, experimentum de eo capturus, alapa eum in facie percussit; sed Dei servus demisse, hilaris, devotusque injuriam pertulit & poenam, Deo gratias agens. Si ejus abstinentiam, ac reliquas mortificationes intentus observes, rarum quid in eo, adolescente adhuc, miraberis, qui adversus semetipsum sancte severus in suum corpusculum saeviebat, ut spiritui subditum haud recalcitraret: unico dietim vescebatur herbarum pulmento, nulloque alio deliciabatur edulio, nisi pane adjecto; tantoque rigore hanc abstinentiam servabat, ut ad temperandum ab eo necesse fuerit Magistri moderamen, cui tanta promtitudine, ne dum ea in re paruit, verum & in omni alia, etsi perdifficili, ad quam propterea exsequendam nonnisi divino adflatu omnem superante humanam virtutem, poterat vel heros promoveri aut excitari; quare dum idem Magister ad probandam

ejus

ejus obedientiam, cur non ignem sibi adsumeret ad se calefaciendum infirmitate urgente? percontaretur, illeque responderet, quia batillo carebat; virtutem ejus experturus reposuit Magister dicens: numquidne manibus cares, ut prunas complecti non possis, quibus vas testaceum repleas? confestim, actutum, nullaque interposita mora, nil perpendens, solumque obedire contendens, prunas manu compressas in vase reposuit. Si orationis studium, si observantiam Regularem, pietatem, ac devotionem in eo perlustres, erit proculdubio in adolescente demirari senem virtute provectum, ac in sanctitate perfectum. Nonnisi cum Deo, aut de Deo conloquebatur: meditationi semper intentus etiam inter conloquia recreationis caussa animum a Dei praesentia non removebat, atque inter reliqua exteriora exercitia a consideratione coelestium non recedebat, qui sibi interius in corde secretam efformaverat habitationem, in qua spiritu etiam inter exteriores adplicationes manens a Deo non elongabatur: quo ex momento facillimum ei erat ubique in Deum summe dilectum rapi spiritu & corpore, quod praeceteris ei accidit in agro, ubi recreationis caussa sub umbra arboris aestivo tempore requiescebat: audita enim a suo sodali sacra cantiuncula concentu musico dulciter recitata a sensibus alienatus post dilectum suum spiritu raptus coeli deliciis fuit refectus. Deiparam Virginem tanquam sui Matrem ac Patronam filiali adfectu, & tenerrima devotione colebat; heinc in ejus laudem Rosarium adhuc infirmus, & in agone mortis constitutus recitavit; semperque ac ante ejus imaginem transiit, angelica salutatione illam salutare non destitit: quotidie ad sacram synaxim Superiorum permissu adcedens, & ex Divino epulo coelestem percipiens dulcedinem spiritu reficiebatur, ac flagrans Divino ardore semper ad nobiliora charismata contendens, nec latum unguem, nec transversam paleam a Regulari exacta legum Ordinis observantia, ac consuetudinibus suae Congregationis declinavit. Quid vero si fidei, spei, & caritatis trophaea in eodem adtentius conlibrare volueris? magnum quid certe in eo perpendes. Divinis namque revelationibus per Ecclesiam ad nos delatis firmum praebens adsensum pro veritate catholicorum dogmatum mori lubentissime optabat; ac Divina mysteria, quae corde credebat, semper mente revolvens, tanta in Dei misericordiam fi-

ducia

ducia elevabatur, ut certus de sua salute ex paterna Dei clementia consequenda, certus ac laetus de Paradisi gloria, ad eum corde ferebatur, & spiritu contendebat; cumque a suo collega fuisset de nimia hac fiducia correctus quae vel ex eo erat formidanda, quia facillime poterat ex doemonis suggestione provenire, libere respondit nullo se timore praepeditum, quem animabat clementia Redemtoris, cujus sanguinis pretio se sperabat certissime transiturum ad gaudia Coelorum. Totus insuper Deo sacratus pati solum & mori optabat pro suo dilecto, ab eoque vel leviter recedere per animi subreptionem dumtaxat pertimescebat: quare ut perpetuo invariabili amore secum conjungeretur, cum Apostolo desiderabat dissolvi, & esse cum Christo.

Tandem Coelo maturus a Deo fuit raptus in ipso suae juventutis flore, ne malitia immutaret cor ejus. Verum antequam evocaretur e mundo, velut aurum in fornace infirmitatum fuit a Deo purgatus, ut nobiliorem perciperet in Coelo coronam. Gravi namque prius infirmitate visitatus a Domino, jugi, nimirum, ac acerbo nimium capitis dolore, sanguinis sputo, ac ardenti assidua febri, quae tandem in phthisin declinavit; diuque hisce morbis cruciatus alios subiit dolores: nam ex diutino decubitu plagis excarnificatus, ulceratisque costis & humeris, invicta constantia, raraque patientia inter poenas gaudebat, & tunc solum tristis vultu, moestusque corde conspiciebatur, cum ei ad solamen, & medicamentum remedia adhiberentur, quae tamen humilis & obediens non respuebat, esto invitus: quare duplici sacrificio se victimam Deo sacrabat. In ipsa itidem infirmitate tam gravi saepius hymnos concinens viam sibi paravit ad Coelum, in quod demum laetus intravit innocentia Baptismali decorus, ac virtutibus eximiis redimitus; quum Sacramentis Ecclesiae mira devotione susceptis, & jam expletis Litaniis in honorem Deiparae recitatis, repetente Sacerdote ex Rituali Ecclesiae: *Proficiscere anima Christiana*, semel & iterum ingeminavit: *adjuva me Domine*, & in osculo Domini mortuus est die XXI. Januarii S. Agneti Virgini & Martyri sacro, quam summa devotione colebat, Anno a partu Virginis MDXCIII. aetatis vero suae XIX. Funus ejus populorum concursu & veneratione fidelium eundem uti sanctum colentium fuit a Deo glorificatum, ejusque gloria coelestis aperte fuit manifestata suo socio, qui scrupulis adflictus

adflictus eum exoraverat, ut ad Dominum transiens pro eo intercederet, & animi quietem eidem impetraret: huic namque post mortem radiis undequaque circumdatus, ac coelesti lumine inradiatus adparuit, eique indicavit gratiam suis precibus a Domino obtentam, laetumque hilarem & quietum reddidit illum cum ex coelesti visione, tum ex favore obento. Sanctitatem ejusdem testatam nobis tradiderunt Necrologia utriusque Conventus S. Mariae Sanitatis, ac S. Spiritus, necnon Patres coaevi omni fide digni, qui universim eum commendarunt, ut præsertim videre est in libro Novitiatus S. Mariae Sanitatis. (*a*) Commendarunt etiam Jo: Michaël Lopez (*b*), Theodorus Valle (*c*), & Cl. Dominicus Gravina (*d*), qui postremus ita de eodem scripsit: „ Noster Frater Thomas de Cupertino Hydruntinus Congregationis S.Mariae Sanitatis in brevi consumptus explevit tempora multa, qui tanquam veteranus miles in palaestra Religionis virtutum omnium specimen se praebuit, ut bravium supernae remunerationis innocentissimae anteactae vitae fini gloriosos conjunctae obtinuisse existimatum sit. Vixit Annos XIX.in Religione IV.„ Tandem vitam ejus typis excusam, sicut ceterorum Dei Servorum,BB.atque SS.publicavit N.F.Dominicus Marchese Episcopus Puteolanus. (*e*)

III.

F. Ambrosius Pascha Neapolitanus, unus e primoribus Patribus, qui Congregationi S.Mariae Sanitatis erigendae firmandaeque operam navarunt, Neapoli in Regali Coenobio S. Dominici, & pro eodem Conventu ad habitum clericalem receptus, studio & oratione, necnon sacrarum legum pervigili exactaque observantia immortale sibi nomen promeruit. Laurea magisterii in Ordine summa laude sibi comparata inter praecipuos Doctores emicuit, & incardinatus S. R. Facultati Theologorum de numero participantium, Decanus nedum, verum & Vice-Cancellarius ejusdem Collegii fuit, pro qua Universitate a Xysto V. R. P. (qui dum in minoribus esset ejusdem Collegii fuit Magister, ut ipsemet in eodem Brevi testatur) impetravit Indulgentiam

(a) *Liber, in quo describuntur ad habitum recepti, eorumque professio adnotatur fol.*12.

(b) *Lopez* Hist.dell'Ord.di S.Domenico P.V. lib.3. cap.31.

(c) *Theodorus Valle* Huom. illustr. della Prov.del Regno P.V. pag. 268.

(d) *Gravina* Vox turturis P.II. c.23.

(e) *Domin. Marches.* Diario Domenicano T.I.

tiam plenariam Magistris participantibus ea die, qua ad novi Decani electionem convenirent. In Regia Neapolitana Studiorum Universitate pariter, nec sine laude, S. Th. Professoris munus exercuit. In regendis autem Coenobiis, Fratrumque cura, maxima enituit prudentia, summa refulsit dexteritate, ac observantiam Regularem summo studio coluit, utque ab aliis custodiretur insudavit: ut observare est in muneribus ab eo obitis, Prioratus, nimirum, S. Petri Martyris, ac S. Dominici, dicti *Majoris*, necnon Conventus S. Mariae Sanitatis de Neapoli, atque Provincialatus Provinciae Regni. Qui autem tot erat decoratus muneribus, exornatus titulis, summoque propterea honore erat nedum apud suos, verum etiam apud exteros, obedientiam singularem, ac tam demissam retinuit humilitatem, ut ubi ad rigidiorem vivendi formam convolavit, morem ex animo gessit Superioribus a Magistro Ordinis institutis, atque ex aliena Provincia adsumtis: eorum mandata sancte custodivit, nec erubuit panem ostiatim per Urbem emendicare sub initium fundationis laudati Conventus, quando ex eleemosynis fidelium fratres ibi degentes alebantur. Meritis tandem, plusquam annis, onustus e valle lacrymarum laetus ascendit ad montem Domini, defunctus in eodem Conventu S. Mariae Sanitatis, cujus severiori vivendi disciplinae jamdudum erat adscriptus, & seorsim in peculiari loco ob spectabilem ejus probitatem omnibus notam, nec sine suorum ac exterorum lacrymis, fuit tumulatus. Inter celebres Regni Scriptores commendatur a Nicolao Toppio (*a*), ex quo etiam ejusdem laudes contexuit N. Jacobus Echard. (*b*) Verum quaenam aut ediderit Opera, aut quaenam MSS. reliquerit, temporum decursu ad nostram notitiam haud pervenit, sed dumtaxat ex marmore, tunc sub initium illius rigidioris observantiae a Fratribus ejusdem Conventus exciso, nobisque adhuc impraesentiarum conspicuo conligere fas est eum singulari sanctimonia, ac peculiari spectanda litteratura emicuisse. Epithaphium vero in ejus memoriam positum heic transcribere non taedet.

D. O. M.

Ambrosio Pascha Neapolitano, vita & exemplo, & doctrina memorando omnium sui Ordinis honorum gradibus functo. Provinciali,

(a) *Nicolaus Toppius* Biblioteca Napoletana.

(b) *Jacobus Echard* Scriptores Ordinis Tom.II. fol.310.

ciali, publico Lectori, arctioris observantiae auctori, Theologorum Collegii Vice-Cancellario Fratres S. Mariae Sanitatis ob viri memoriam. Vixit annos LXV. Obiit Anno Dom. MDLXXXXIV. mense Februario die 24. hora v. noctis.

Ejusdem memoria honorifice etiam perhibetur in Necrologiis Conventus S. Mariae Sanitatis, ac S. Spiritus de Neapoli; commendatur itidem ejus doctrina, & persona in Actis Collegii Neapolitani, ejusque etiam non sine laude meminerunt Caesar Engenius (*a*), & N. Theodorus Valle a Priverno, (*b*) aliique.

IV.

F. Hieronymus Celentano de S. Severino haud ignobili Terra in Provincia Principatus Citerioris in nostro Regno natus (quo autem anno ortus, quove fuerit habitu Ordinis indutus, ignotum mihi ex deficientia monumentorum) inter filios Conventus S. Spiritus cooptatus, ut in libris ejusdem Coenobii legitur, moribus ac litteris se conspicuum reddidit. Studiorum curriculo Perusiii exacto, ac Lectoratus laurea insignitus, nedum litterarum studia, verum & Regularem Observantiam, quam ad amussim sacrarum legum semper exacte coluit, promoveri sategit. Adsumtus namque in partem sollicitudinis suae a V. P. F. Paulino de Bernardinis Lucense Fundatore Congregationis Aprutinae (nunc Provinciae S. Catharinae Senensis) mire illum in tam commendabili opere verbo, exemplo, ac labore adjuvit. Lectoris munus per plures annos pluribus in Conventibus, praesertim Theatino, & Neapolitano Jesu & Mariae, aliisque suae Congregationis exercuit; heinc emenso scholarum curriculo ad Magisterii lauream fuit jure promotus. Ad suam Congregationem reversus primordia rigidioris observantiae summa caritate ac ardenti zelo firmanda curavit, praesertim in suo Conventu S. Spiritus, cujus semel, & iterum Prior fuit. Eadem Dei caritate succensus Confessarii munus diu exercuit, summa comitate poenitentes excipiens, ac sana doctrina eos alens, prudentiaque eorum vulnera curans. E suggestu etiam indefesse conciones habens ad populum plures Christi fideles ad meliorem frugem perduxit; utque ad Christiane vivendi normam ceteros promoveret, nullimode sibi parcens ad mortem usque insudavit. Religionis

(a) *Caesar Engenius Caraccioli* Napoli Sacra P. I. pag. 614.

(b) *Theodor. Valle* Huomini illustri della Prov. del Regno fol. 161.

ligionis decori totus incumbens omnem adhibuit operam, ut N. Ambrosio Salvio Episcopo Neritino Fundatori Ecclesiae Spiritus Sancti, eique adjecti puellarum Gynecaei in Urbe Neapolitana Statua erigeretur, ut factum est; exstatque hodie in eadem Ecclesia Statua tam insigni viro cum suo epigraphe erecta. Meritis & annis plenus obdormivit in Domino Neapoli in praefato Conventu S. Spiritus Anno MDCIII. Ejusque obitus non sine sanctitatis nota describitur in Necrologio praefati Conventus. Reliquit etiam sui ingenii monumenta publici juris facta, quae itidem laudantur in libro Filiorum ejusdem Conventus S. Spiritus, & commendantur etiam a Parthenopaeo Scriptore Nicolao Toppio, & a N. Jacobo Echard, a quibus inter Scriptores non obscuri nominis conlocantur. Sunt autem haec ejus opera.

Della bestemmia, maledizione, e giuramento 8. Neapol. apud Haeredes Matthaei Cancerr 1586.

Item *Addizione al libro del P. Paulino del Santissimo Rosario* 12. Ibidem apud eundem.

V.

F. Johannes-Hieronymus Riccio Guardiae Lombardae apud Lucanos (vulgo *Provincia di Basilicata*) in nostro Regno natus Anno MDLXXXI. tanta virtute, gravitate morum, ac prudentia adhuc juvenis, & in saeculo degens, enituit, ut XV. aetatis suae anno in sua patria degens a primore nostri Regni Dynasta (quisnam iste fuerit ex incuria Veterum non fuit adnotatum) proprio suo filio fuerit deputatus Magister ac paedagogus. Anno MDXCVII. Clericali habitu indutus in Conventu S. Mariae Sanitatis a V. P. M. F. Marco Maffeo tunc illius Conventus Priore, atque inter Filios Conventus S. Spiritus ex tunc adgregatus, ut constat ex libro Filiorum Conventus S. Spiritus (*a*) (per errorem ab Illustrissimo Lopez dicitur filius Conventus S.Mariae Sanitatis (*b*)) ad tantam pervenit cordis puritatem, ac operis sanctitatem, vitaeque innocentiam, ut communi omnium, cum saecula-

 rium,

(c) *Liber Conventus S. Spiritus, in quo ab Anno MDXCI. ad hanc usque diem adnotati sunt filii Conventus.*pag.8.

(d) *Johannes Michael Lopez* Historia dell'Ord. di S.Domen. P.IV.

rium, tum Religiosorum voce *Angelus* adpellaretur. Vultu semper hilari erat, qui tamen ex assidua meditatione maximam hauriebat cordis compunctionem, atque devotionem: exactae obedientiae custos, nonnisi ex superiorum voluntate pendebat, quorum jussibus promte parebat: paupertatis amantissimus, nonnisi viliora pro se expetebat, plenaria temporalium omnium abdicatione insignis, & quantum ei ex status conditione fas erat, totum, quod poterat, pauperibus erogabat, quibus etiam lubentissime donavit dulciaria eidem a Religiosa Matrona non sine Superiorum licentia ad recreationem in infirmitate donata, nec mica quidem illorum degustata: adversus semetipsum sancte severus corpusculum suum, vel in ipsa quiete, cruciabat subjectis laneae sindoni lignis, ac sarmentis, ut somnus ad requiem laxi corporis indultus ei cederet in poenam; erga alios vero tanta erat dulcedine, caritate, ac comitate detentus, ut suavi sua conversatione cunctos sibi devinciret amore: qua de caussa ad eum omnes adcedere optabant, cum eo conloqui cupiebant, ut vel ex inde perciperent animi levamen, & virtutis exemplum. Quum ad sacrosanctam Eucharistiam adcedendum ei erat, praecipue cum Levita in altari suum munus exercebat (ad Sacerdotii ordinem non pervenit morte praeventus) tanta cordis compunctione, talique devotione se praeparabat, ut pluries in terram pronus, lacrymisque perfusus, diuque in oratione detentus ignita e pectore eructaret suspiria prius, deinde caritatis flamma succensus digne posset coelesti pabulo nutriri. In brevi tandem consumtus explevit tempora multa, meritisque, etsi non annis, onustus, quum ad XXIII. suae aetatis annum pervenisset innocuam animam nulla lethali macula coinquinatam (ut testatus est ejus Confessarius generali etiam illius confessione excepta) pretiosa morte coronavit. Anno siquidem partae salutis MDCIV. extremo morbo correptus sacra Exomologesi expiatus, divino Viatico refectus, ac Extrema Unctione munitus summa animi devotione sese ad transitum ex hoc mundo paravit; & paradisi januae jam propinquus, ut liberius eo evolaret, a Fratribus sibi adsistentibus, ut decantarent Psalmum, *Beatus vir, qui timet Dominum*, enixe rogavit: quo expleto pari animi devotione petiit, ut decantarent versiculos de Passione, qualibet Feria VI. cantari consuetos in nostra Congregatione, quorum primus est

Amici

Amici mei & proximi mei &c. quibus terminatis, & in eorum meditatione succensus postulavit, ut sibi legeretur Passio Domini nostri secundum Johannem, in cujus recitatione animi sui flammas, cordis compunctionem, ac spiritus sui fervorem non sine circumstantium lacrymis, ac aedificatione patefecit. In meditatione namque poenarum, ac dolorum Jesu Christi Servatoris defixus magnam persentiens in corde poenam, fovensque in eo caritatis amorem, ubi ventum est ad ea verba Evangelii: *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit eum*, compatiens dilecto suo, & pro eo pati pariter exoptans, efflagitavit Fratres sibi adstantes, ut eum contumeliis aaficerent, ut alapis contunderent, verberibus adfligerent, irrisionibus replerent, ut socius fieret Domini nostri sputis obliti, confusione repleti, & flagellis caesi. Resumente vero post ejusdem moribundi suspiria, ac exclamationes: lectionem Sacerdote, ubi ait: *Milites plectentes coronam de spinis imposuerunt* &c. iisdem aculeis corde vulneratus, ac majori flagrans ardore: *Eja*, inquit, *ferite, percutite caput meum, dum Rex gloriae spinis coronatur.* Et tandem dum ad Christi mortem in patibulo ille pervenit, iterum efflagitavit, ut eum dejicerent in terram moriturum in cinere, & cilicio, nolens in lecto decumbere, & super stratum mori, ubi Christus in ligno mortem obiit, crucique suffixus animam efflavit. Sed adhuc post perlectam Dominicam passionem vivens, ne modicum quid sine coelesti pabulo quiescere, summis precibus exoravit, ut ei decantaretur Psalmus, *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum*, sicque post dilectum suum currens in odorem unguentorum suorum placida morte vale dixit mundo, & virtutibus insignitus introivit in atria Domini, quem ardenti desiderio concupierat, quem summa caritate dilexerat, quo cum felix vivit & regnat, ut pie creditur, qui ita sancte vixit, & devote obiit die v. Julii ejusdem Anni. Ejus memoria commendatur in laudato Libro, necnon in Necrologio Conventus S. Spiritus, in cujus claustro eum cum ceteris Conventus filiis depingendum curavi, debito elogio adjecto; eum quoque cum laude commemoravit laudatus Episcopus Monopolitanus Joh. Michaël Lopez.

VI.

F. Ambrosius Guglielmini Neapolitanus filius Regalis Conventus S. Dominici de Neapoli, deinde Conventui S. Mariae Sanitatis

nitatis adgregatus, ut post pauca dicetur, clarissimus sua aetate S. Theologiae Magister fuit, vir acris ingenii, ac tenacis memoriae, in gravioribus scholasticis controversiis edisserendis mirae perspicuitatis, ac claritatis, in proponendis ac dissolvendis objectionibus singularis profunditatis, parilisque subtilitatis: quare magnam apud omnes prometuit existimationem. Ne dum in Ordine post omnes scholasticos agones ad magistralem lauream pervenit, verum & in Regia Neapolitana Facultate inter participantes Magistros adgregatus, in eodem quoque Collegio munus Vice-Cancellarii gloriose obivit. Regularis Observantiae vero fuit exactissimus custos, utque haec promoveretur, insudavit ardentissimus Zelotes: quare V. P. M. F. Marco Maffeo in fundatione Conventus S. Mariae Sanitatis, atque in rigidioris asceseos propagatione socium se adjunxit, & plusquam viginti annis in eadem vivendi forma perseverans nobile se praebuit Religiosae conversationis exemplar; virtutem itidem maximam eidem Regulari strictiori Observantiae sociavit, praesertim obedientiam exactissimam, raram humilitatem in sui despectu, dum sub initium (ut in reliquis dictum est) stipem & panem emendicare per Urbem non erubuit, ac cetera humilitatis officia in Coenobio exercere non abhorruit. Quum diu in subjectione laudatā Observantiam pro viribus coluisset, Prior constitutus ejusdem Conventus Sanitatis, summo studio sartam tectam laudatam sacrarum legum strictiorem Observantiam custodivit; & Vicarius Generalis tandem novellae Congregationis effectus, magis magisque promovit. Verum quum Vicarium Generalem ejusdem Congregationis ageret, & devexa licet aetate rigorem primaevum exacte teneret, maximo languore fuit correptus, nec non ceteris poenitentiis adtritus, gravi oppressus morbo ad extremum suae vitae devenit, & Sacramentis Ecclesiae magna devotione susceptis obdormivit in Domino in eodem Conventu S. Mariae Sanitatis Anno MDCV.

Tanti viri cum laude meminerunt Acta Collegii Neapolitani, praesertim dum ejus funus percensent, Theodorus Valle (*a*), & Nicolaus Toppius (*b*). In utroque Necrologio S. Mariae Sanitatis

(a) *Vallius* Huomin. illustri della Prost. del Regno pag. 277.

(b) *Toppius* Bibliotec. Napolet.

nitatis, & S. Spiritus inter viros eximiae probitatis adnumeratur, & tandem Cl. N. Jacobus Echard de eo nobile perhibet testimonium (*a*), quod lubentissime ad ejus gloriam subjicio.

„ F. Ambrosius Guglielmini, sic enim scribit Vallius in
„ Compendio, vel *Gulielmi*, ut habet Toppius *Bibl. Nap.* Par-
„ thenopaeus, Conventus ibidem S. Dominici alumnus, Sacrae
„ Theologiae magister, ac Collegii Theologorum academiae
„ Neapolitanae, idemque unus e primis congregationis *della*
„ *Sanità* dictae erectoribus, vir disciplinae Regularis aemula-
„ tor ardentissimus, obiit anno MDCV. a Toppio citato lauda-
„ tur inter scriptores, nullis tamen ejus operibus recensitis, quae
„ forsan a suis sodalibus speravit addenda.

„ De eo sic lego apud Malvendam *Annal. pag.* 48. *a.*, ubi
„ agit de donatione nostris facta monasterii S. Archangeli ad
„ *Morfisa*, nunc S. Dominici Neapolitani: *Ejus donationis pu-*
„ *blicum instrumentum extat in archivo conventus S. Dominici*
„ *Neapoli, ejus exemplar fideliter ex autographo sua manu de-*
„ *scriptum misit ad nos R. A. P. Magister F. Ambrosius Gulielmi-*
„ *nus de Neapoli, vir religione, probitate, & doctrina insignis,*
„ *& de antiquitatibus Ordinis Praedicatorum optime meritus, in*
„ *quibus pervestigandis, & undequaque eruendis indefesso stu-*
„ *dio laborat.* Quibus Malvenda docet exemplum ejus donatio-
„ nis anno MCCVXXI. nov. 1. ind. 5. factae ad se a dicto Am-
„ brosio missum. Cujus proinde opera praeter theologica, quae
„ reliquisse plura non dubitaverim, recensenda sunt.

„ *Antiquitates Ordinis Praedicatorum in Regno Siciliae e*
„ tenebris erutae, & in ordinem digestae.

VII.

F. Modestus Coluccia natus in Oppido Castri Francorum, vulgo *Castel Franco*, in Provincia Calabriae Citerioris, ut optime adnotarunt Caesar Engenius,(*b*) & Abbas Pacichelli (*c*), (secus autem in Provincia Principatus ulterioris, ut Vallius scripsit, (*d*) quamvis haec Provincia finitima sit Calabriae citeriori, ex quo facile fuit Vallium errasse) ad habitum clericalem in Conventu S. Mariae Sanitatis admissus die 2. Julii MDLXXXV. sub initium

(a) *Echard* Script. Ordin. Praed. T. II. p. 357.

(b) *Pacichelli* Regno di Napoli in Prospettiva.

(c) *Caes. Engen. Caraccioli* Descrizione del Regno di Napoli pag. 230.

(d) *Theodor. Valle* degli huom. illustri della Prov. del Regno pag. 97.

tium videlicet nostrae Congregationis, primitias spiritus adeptus ad tantam pervenit in Ordine puritatem, innocentiam, simplicitatem, ac omnigenam virtutem, ut jure merito inter primores nostrae Congregationis heroës sit adnumerandus, esto clariores suae virtutis radios humilitatis nube contexerit: qua de caussa nobiliora monumenta nos latent. De eo namque verbum habens Theodorus Valle a Priverno, qui aliquando tantum virum Magistrum habuit in Novitiatu S. Mariae Sanitatis, sic ex certa scientia eum commendat (a): Hunc virum aliquibus mensibus magistrum habui; in eoque talem ac tantam suspexi puritatem atque simplicitatem, ut fere quinquennis mihi puer videretur. Demiratus sum etiam in eo maximam humilitatem, cujus momento fuimet contemtor honores ac gradus omnes in Ordine conferri consuetos devitavit; utque omnibus pene foret ignotus, summo studio contendit in Conventu extra Urbem Neapolitanam degere, ut sua merita omni laude digna occultaret, & suae virtutis radios liberius posset celare. Erga omnes maxima caritate fervens, adversus semetipsum autem sancte crudelis, austerissimam excepit mortificationem, retinuitque poenitentiam severiorem; utque ferventius in Dei amore incalesceret, coleretque virtutem, assidue Crucifixi Redemtoris poenas & agones mente volvebat, erga illius passionem vehementer adfectus: quo factum est, ut ad senectam usque innocuam sanctamque servaverit vitam, quam aeterna gloria ac pretiosa morte, cunctis moerentibus, ipso solum gaudente, coronavit die ultima mensis Julii An. salutis MDCXIX. & Religiosae conversationis XXXIV. Obiit igitur in Conventu S. Mariae ad Vicum de Argentio, ubi diu ad occultandam propriam virtutem delituerat; sed eam permaxime Deo sic disponente ac excitante notam fecit cunctis in ipso mortis agone, quando Sacramentis Ecclesiae rite sancteque munitus, & in Dei misericordia plene confidens, Deo debitas rependit grates de sibi impartitis favoribus: & ne videretur se commendare, qui solummodo D. O. M. gratiam exaltare ex Divino impulsu volebat, pectore stricta manu pugnisque pluries percusso, ad sibi adstantes, compuncto corde, lacrymis perfuso vultu, conversus, ait: *Fratres mei Virginalem continentiam ad hanc usque horam inlibatam servavi: Deo gratias. Nunquam mentitus sum: Deo gratias. Nunquam*

(a) *Idem ibidem.*

Nunquam juravi, nec, vel semel, aliquem ad jurandum incitavi: Deo gratias. Extra casum infirmitatis nunquam carnes comedi: Deo gratias. Semper statuta silentia, ac sanctas omnes Ordinis leges servavi: Deo gratias. Hac vero gratiarum actione completa, Deique in se peractis magnalibus expressis, erectis in Coelum luminibus, placida morte ad Superos evolavit. De eodem itidem plura exstant insignium virorum testimonia ex quibus magis magisque tanti viri Sanctitas commendatur. V.P.F.Johannes Baptista a S.Petro (de quo infra) in notula adjecta nomini ejus descripto in libro Novitiatus S. Mariae Sanitatis ad perpetuam ejus memoriam hanc adjecit epigraphen. „ Migravit ad „ Dominum vir innocens & simplex in Conventu Argentii &c.„ Cl.F.Dominicus Gravina inter ceteros viros sanctitate inlustres eundem F. Modestum percensens, hoc de eo testimonium perhibuit. (*a*) „ In Italia in Congregatione Sanitatis in Conventu Ar- „ gentii octuagenarius P. F. Modestus de Castro Francorum mo- „ destiae exemplum, ut & ceterarum virtutum, quem virgini- „ tatis lauream Coelo intulisse certis documentis deprehensum „ est. „ In Actis Capituli Generalis Tolosae coacti Anno MDCXXIX. ubi ad calcem adnotantur Fratres & Sorores Ordinis Sanctitate inlustres, de eo verbum habetur: „ In Conventu „ Argentii Pater F.Modestus de Castro Francorum puritatis ama- „ tor eximius. „ Non absimile, sed prolixum eximiumque itidem ad commendationem tanti viri testimonium perhibet, ac elogium profert Caesar Engenius. (*b*) In utroque pariter Necrologio S.Mariae Sanitatis, nimirum, ac S.Spiritus inter eos percensetur, qui cum sanctitatis fama obierunt; & tandem in vetustissimis libris ejusdem Conventus S.Mariae ad Vicum de Argentio pari sanctitatis charactere distinctus percensetur.

VIII.

F.Johannes Baptista Simeoni Neapoli honesta familia natus die XXVIII. Martii MDLXV. quum ad XX. aetatis suae annum pervenisset, ut Deo inserviret, ab omni saeculari sollicitudine feriatus in Ordine Praedicatorum vitam ducere, suosque dies Deo sacrare statuit; utque exactius Domino redderet vota sua, arctiorem disciplinam in Conventu S.Mariae Sanitatis custodien-

H dam

(a) *Dominicus Gravina* Vox Turturis P.II. c.23.

(b) *Caesar Engenius Caraccioli* Napoli Sacra P.I. fol.618.

dam decrevit: quare eo convolans sub initium ejusdem Conventus fundationis, a Patribus illius domus, propria vocatione probata, fuit ad Clericalem habitum admissus die 11. Julii An. MDLXXXIV. & sub cura insignium virorum, ac in societate optimae indolis nobiliorisque conversationis juvenum, praesertim F. Modesti de Castro Francorum, & F. Johannis de Rocca Aspri, qui secum Novitiatus, seu probationis, annum peregerunt, ita in virtutibus profecit, & Congregationem sua perfectione inlustravit, ut Cl. N. F. Dominicus Gravina ad perpetuam tanti viri memoriam propria manu hanc notulam adjecerit paginae 3. prioris libri Novitiatus S. Mariae Sanitatis, ubi N. F. Johannis Baptistae de Simeoni receptio ad habitum, & professio est adnotata. „ Obiit vir hic Religiosissimus, sanctissimis moribus or-„ natus, omnique perfectione decorus, cui nimium obstricta „ manet Congregatio Sanitatis ob quietem ac tranquillitatem „ ab eo inibi servatam vindicatamque, sicut etiam ob sanctita-„ tem. Fuit enim optimus Novitiorum Magister, specialibus „ propterea donis a Deo exornatus; quapropter pluries a Supe-„ rioribus eo fuit in munere constitutus: Sua quippe devotio ma-„ gna, ejusque prudentia heroica fuit, optime miscere sciens ri-„ gori dulcedinem, & summa dexteritate evitare contendit „ omnem vel levem murmurationem, confestim inducens con-„ loquia spiritualia. Obiit in Conventu S. Mariae ad Liberam „ Villae Vomeris Anno MDCXX. „ Et V. P. F. Johannes Baptista de S. Petro, dum Magistrum Novitiorum agebat in eodem Conventu S. Mariae Sanitatis, ad majorem laudem ejusdem F. Johannis Baptistae de Simeoni quondam sui Magistri, ac in gratitudinis monimentum, haec proprio charactere subjecit professioni ejusdem Servi Dei in posteriori libro ejusdem Novitiatus exaratae (sicut & in eodem libro ceteri omnes in priori libro ad habitum recepti & professi repetuntur.) „ Vivit in Coelo vir Sanctus, „ obiit in Conventu S. Mariae de Libera Vomeri Anno 1620. „ = Hic pluries fuit Magister Novitiorum, vir devotissimus, pru-„ dentissimus, & qui optime norat miscere amara dulcibus, ut „ corrigeret & non contristaret. Mirum quam efflueret divina „ gratia in divinis eloquiis, & qua dexteritate vaniloquia, ac „ detractiones verteret in spiritualia colloquia. Vixit patiens, „ nulli nocens, intendens semper spirituali profectui, multos-

„ que

„ que perduxit ad perfectionem ; & miror, quod sanctitatis „ ejus commemoratio nulla facta sit in Actis Capitulorum Generalium ; sed haec pauca parentavi Magistro meo devotissimo, „ cujus & nomen haereditavi, sed indigne. „ O utinam & ad meas manus pervenissent aliorum Veterum monumenta! plura de tanto viro potuissem enarrare distinctius, quae vel indigitata sunt a duobus laudatis insignibus Viris, quorum tamen testimonium, esto strictim, nimium nimiumque hujusce servi Dei virtutem ac sanctitatem commendat.

IX.

F. Johannes-Leonardus de Fusco in Civitate Litterarum in Campania nobili genere natus ex Francisco de Fusco, & Lucretia de Miro (ex hujusce familia duos novissime habuit nostrum Regnum & Orbis Cll. Viros, Abbatem de Miro Casinatem, & Regentem de Miro in Supremo Collaterali Consilio Senatorem, ambos Urbi & Orbi apprime notos) & Albentius in baptismate dictus, ab ipsa infantia dono praeventus gratiae, & coelesti lumine inlustratus, veram devotionem colere, ac praesertim venerationem erga Deiparam, quam uti singularem sui Patronam quotidie Rosario flexis genibus recitato salutabat, perpetuo custodivit: aliis itidem religionis actibus ac suae clientelae monimentis erga eandem Deiparam Virginem haud omissis. Sacramenta frequentare, Synaxi adsistere, verbum Dei excipere, orationi adtente vacare solemne habuit & sacrum; utque ab ea adhuc aetate carnem spiritui subjugaret ferventissimus puer, cui Deo solum inservire, ejusque mandata sarta tecta custodire in votis erat, lanea interula ad carnes usus, nodoso fune ad nudos renes cinctus, saepius se flagellis caedebat, aliisque mortificationibus innocuum corpus adfligebat. In ipsamet pueritia patre morte sublato, superstiti ejus matri tanta observantia parere sategit, ut ab ejus ore nutuque penderet: nec domesticae rei curam pertaesus, ut naturae leges impleret, Deo itidem adhaesit in ipsa temporalium rerum administratione, talique devotionis exemplo, ut XVIII. aetatis suae anno praefectus fuerit Congregationi, seu sodalitio Sanctissimi Rosarii in eadem Civitate Litterarum, omnibus eo in munere factus stimulus virtutum, & ad capessendam devotionis semitam exemplar & calcar. Humanioribus litteris jam imbutus, primoribusque studiis jam expletis,

ut ad Urbem noſtram Regni Metropolim nobiliorum ſtudiorum cauſſa declinaret, majorum ſuorum conſilio decretum exſecutioni quantocius mandavit. Quam in natalitio ſolo coluit pietatem, Neapoli adauxit, & inter ipſosmet juvenes libertati deditos ſenſuique laxantes habenas virgineum florem cuſtodivit inlaeſum, divina praecepta ſervavit, ac Evangelica conſilia cuſtodivit. Quum vero die quadam recreationis cauſſa cum aliquibus optimae ſpei adoleſcentibus ſuis ſociis extra Urbem egreſſus deambularet per pomarium Ducis Nuceriae (ubi nunc exſtructum eſt Aſceterion PP. Carmelitarum excalceatorum S. Thereſiae ſub titulo Matris Dei, & prope Regiam ſtudiorum Univerſitatem) caſu in piſcinam aqua redundantem lapſus, extremum jam jam ſubiturus vitae periculum in ad ejusdem Coelorum Reginae patrocinium, & tutelam confugiens, voto ſe adſtrinxit, confeſtim ac incolumis evaderet, in Religione adprobata vitam in monaſtica profeſſione ducturum; reſque ei pro voto ceſſit, nam a ſociis adcurrentibus Dei praeſertim ope protectus, & Virginis patrocinio elevatus, inde faciliter potuit emergere, & ad Religionis portum protinus evolare. Ad Conventum S. Mariae Sanitatis nuper erectum, ubi tunc praecipue ſub initium ſanctior exactiorque Regularis obſervantia florebat, Dei ſpiritu actus confugit, fervidiſque emiſſis precibus ad Regularem habitum, & Clericalem ſtatum admiſſus religionis habitu fuit indutus a P. M. F. Ambroſio Paſcha die xv. Auguſti, triumphis Deiparae ſacro, Anno partae ſalutis MDXCI. Facile haud dictu eſt, quot fuerit ſub initium ſanctioris ſuae converſationis ſathanae inſidiis ac daemonum tentamentis oppetitus, ut ab incoepto deſiſteret. Nimium enim nimiumque de hac ejus electione dolentibus, primo primumque Genitrice, ei nimio amore adfecta, deinde cognatis ceteris, quibus grave erat jacturam facere viri ad domeſticam curam opportuni, atque ad majores profectus honoreſque ſpem maximam exhibentis. Ad Apoſtolici Nuncii curiam, & poteſtatem eorundem recurſus adceſſit, ut ejus vocatio recto examine probaretur: quare eadem authoritate e Conventu Sanitatis alio fuit delatus, ac multifariam tentatus, ut ſuorum, Genitricis praecipue, miſeratus, in ſaeculo ſanctioris vitae propoſitum teneret, haud omiſſa tamen domeſtica cura, haud abjecto familiae incremento. Verum fervidus adoleſcens, qui habitare in domo Domini omnibus diebus vitae

ſuae

suae statuerat, ac Deo in claustro inservire voverat, carnis mundique spretis inlecebris, in sancto proposito firmus cuncta protrivit, atque reportato de hostibus triumpho ad Novitiatum S. Mariae Sanitatis reversus, majores in corde suo adscensiones disposuit, ad nobiliora charismata aemulanda contendit, qui nonnisi, quae Dei erant, exoptabat, & cui pro Deo suo vivere pati ac mori erat in votis. Revera quidem totus ejus vitae cursus ad bravium virtutis, ac ferventissimi amoris Dei fuit directus. Heinc firma fide munitus, spe maxima roboratus, ac caritate sublimi incensus solum Deum, & divina petere, optare, ac consequi studuit: Ordinis sui Constitutiones, ac consuetudines ita exacte custodivit, ut in exitu e mundo conspicuum videre meruerit suum Angelum tutelarem, qui eidem ostendens chartam, seu chyrographum suae professionis coelitus aureis litteris distinctum, sic Dei servum in agone mortis constitutum fuit adlocutus: *Gaude, quia, quae vovisti Domino, fideliter servasti; eja igitur intra in gaudium Domini tui*. Adversus semetipsum insuper sancte severus, ut sensum spiritui subjugaret, in corpusculum suum ferreis etiam flagris saevire consuevit; nuda saepius humo cubans, & ad levamen aliquando super paleas requiescens, brevissimum somnum laxis membris indulsit: ad matutinas horas semper ac potuit, media nocte surgens, reliquum, quod supererat tempus, in oratione, ac sacra lectione consumsit. Jejuniis ac abstinentiae addictus carnes nunquam comedit; utque nullum ex cibo, quem ad necessariam alimoniam sibi indulgebat, perciperet saporem, super herbas oleo conditas aquam effundens, palatum & stomachum ad nauseam usque cruciabat: duriori semper pane usus, illum, ut posset manducare, quandoque pariter aqua madefactum emollire cogebatur. Silentium rigidissime custodiens nonnisi cum Deo, aut de Deo loquebatur, & vix de aliis rebus ei sermo erat, quem itidem ad Dei gloriam ordinabat, saepissime ad linguae custodiam repetens illud solemne Sanctorum effatum: *Bis ad limam, semel ad linguam*.

Erga proximum tanta caritate incensus cunctorum saluti incumbebat, ut libenter impendi, & superimpendi pro illis ardenter optarit: quapropter etiam enixe rogavit, & a Superioribus licentiam expostulavit adeundi regiones infidelium, ut illos e tenebris errorum in admirabile lumen Christi sua praedicatione evocaret,

caret, lubentissime vitam cum sanguine fusurus pro illorum salute, ac fidei christianae triumpho; cumque id ei, Divino sic disponente consilio, fuerit denegatum, ad alia in Dei gloriam evocatus, non destitit tamen pro fidelium salute semetipsum offerre in victimam, sacrare in holocaustum, ac in sacrificium immolare; nullum propterea periculum pertimescens, a nullo labore declinans: quare Nolae in Campania peste infectis adsistens, nunquam a sancto opere destitit, solusque cum P. F. Petro Martyre de Trano (de quo infra) relictus, ad finem usque contagii perseveravit. In infirmitate quoque sibi non pepercit, ut aliis prodesset: quapropter podagra laborans vim sibi inferebat, ut aliis occurreret, magnisque cruciatus doloribus, veluti reptans, baculo innixus, eo se pertrahebat, quo caritas eum evocabat; & dum nimio dolore pressus veluti exanimis languebat, illud Prophetae usurpabat: *Sacrificium medullatum offeram tibi*. Totus itidem eadem ex caussa erat in concionibus ad populum habendis, in excipiendis fidelium confessionibus, in consolandis adflictis, dirigendis in Dei viam animabus, evocandis ad poenitentiam peccatoribus, piisque ad meliora charismata promovendis; quantumve uberem segetem congregaverit in horrea Domini, qui seminaverat in lacrymis & doloribus, vel ea dumtaxat Gynecaea Sanctimonialium indigitari possunt, quorum toto fere vitae suae tempore curam habuit, praesertim S. Mariae Aegyptiacae (cujus primus e Congregatione nostra fuit Prior, & Confessarius, quum illud eidem Congregationi a Clemente VIII. fuit concreditum, ut in Prolegomeno fuit adnotatum) & Divini Amoris, ac S. Johannis Baptistae in Neapolitana Urbe, in quibus & sanctiorem observantiam, & nobiliorem devotionem firmavit, quamplurimis sacris Virginibus ad inlustrem sanctimoniam promotis, atque deductis: ut silentio praeteream alia inibi digna facinora ad plurimarum salutem patrata, quae etiam legi possunt in actis VV. MM. Sororis Mariae Villano, & Euphrosynae de Baucio jam publici juris factis. Quas autem in claustris Virginum sparsit divini amoris flammas, etiam in Clerum effudit, plurimis ejusdem sua directione ad sanctiorem vitam evocatis: ut praetermittam innumeros fere saeculares eodem divino igne ab eodem incensos.

Qui autem ita in proximum divino aestu fervebat, quanto

erga

erga Deum (propter quem proximum diligebat) ardoris impetu ferebatur? posset utique vel ex dictis conjici; verum ad sui cordis flammas erga Deum summe dilectum clarius manifestandas alia addere non taedet. Tanto erga Deum ferebatur cordis adfectu, tanto ardore flagrabat, utnon semel ad temperandum sui cordis ac corporis aestum, quo succensus pene languebat, nudo pectori adjicere nives, hyemali adhuc tempore, fuerit coactus: tanto impetu cor ejus pervolabat ad Sponsum, ut saepius in ecstasim raptus, ac a sensibus abstractus, pene deficere visus fuerit: saepius etiam divina luce, ac coelesti flamma inradiatus, coelesti visione recreatus, in praemium caritatis, qua aestuabat, ac praesentia pueruli Jesu eum benigne complexantis, praesertim in Eucharistica mensa, ad quam seraphico ardore succensus adcedebat, Coeli dulcedine fruebatur in terris: quare hac suavitate inebriatus, hisce deliciis adtractus, coelesti corusco circumdatus atque refulgens in aëra elarus post dilectum suum volabat,qui totus divino flagrans ardore,ad Coelum,uti ad proprium centrum, divinitus pertrahebatur; utque arctius uniretur Deo, qui ita in Deum divino rapiebatur amore, pro eo pati mala omnia, eaque graviora optabat, gaudebatque in poenis. Porro in se adimpleturus, quae fortasse ei deerant, adflictiones, flagris se caedere, aliisque cruciatibus sese cruentare, ac mortificare studebat: in eisdem vero poenis, quas sibi inferebat, aliis Coeli deliciis recreatus guadebat, & in ipsismet tormentis Paradisi dulcedine fruebatur.

Tot vero Coelestibus donis dotatus, quin insuper, & spiritu prophetiae, cognitione cordium, occultorum scientia, ac ceteris gratiis gratis datis ubertim a Deo donatus ita de se demisse sentiebat, ut se, & corde, & ore revera peccatorem maximum declarare non ambigeret; quinimmo ita se indignum existimabat, ut opprobriis repleri, contumeliis adfici, inrisionibus excipi optaret; & dum male tractaretur, in sui contemtu gauderet, tunc vero dumtaxat contristaretur,quum se ab aliis laudibus decoratum audiret: quare ad humilitatem servandam toto magnoque conatu Coelestia sibi conlata dona occultabat, & quas Deus suis meritis suisque precibus gratias ceteris impartiebat, Divinis rebus, sacrisque reliquiis, quas infirmis adplicabat, adseveranter tribuebat, in omnibus Dei gloriam non minus, ac sui contemtum promovens

movens atque procurans. Ex hoc autem tam demiſſo humilique ſuimet judicio ab aliorum ore pendere ſolemne, ac ſuave ei fuit, atque ſuperioribus obedire ſanctum, ac jucundum. Ne autem vel per tranſverſam paleam, aut latum unguem a ſuperiorum juſſibus aut voluntate deflecteret, ardua nedum, verum & impoſſibilia adgredi non detrectabat. Ad ſui itidem contemtum paupertatem quammaxime coluit, nunquam propterea novis veſtibus uſus, ſed obſoletis, laceris, ac adtritis fere ad nuditatem uſque, & ad incommoda gravia, adhuc hyemali tempore, quando propterea algere cogebatur, contremiſcere, & pene confici; gaudebatque tunc maxime, quia ob Dilectum, qui propter nos egenus factus eſt, ut illius inopia divites eſſemus, paupertatis incommoda devorabat. Ex hac itidem humilitate profluxit admirabilis illa patientia, qua adverſa cuncta aequanimiter ſimul ac laetanter toleravit: in infirmitatibus, in laboribus, in anguſtiis, in doloribus, ceteriſque poenis jubilans ac gaudens.

Puritatem tum corporis, tum animi integerrimam ita ſervavit, ut in carne praeter carnem vivere videretur; & quamvis non ſemel ad majorem virtutis triumphum fuerit a Sathana variis tentationibus oppetitus, lacrymis, jejuniis, ſuſpiriis, ceteriſque cruciatibus, uſque ad ſanguinis effuſionem ferreis flagellis caeſus, aſſiduis precibus, ac ferventi oratione ad Deiparam Virginem ſuae caſtitatis Patronam confugiens, victor de hoſte reportavit triumphum, promeritus etiam in ejusdem Deigenitricis manibus videre florum coronam, qua propterea decorandus erat in Coelis. Nec tamen ſegnis deinde evaſit, ſed ad eandem virtutem vigili ſtudio cuſtodiendam animum adplicuit, & vires: ſemper de ſe timens, eſto ſemper in Deum fiducia roboratus, ab oratione nunquam deſtitit, nunquam ab aliarum virtutum exercitio, vel ad breve tempus, abſtinuit, praecipue vero ab aſſidua meditatione paſſionis Jesu Chriſti Servatoris, aliorumque fidei noſtrae myſteriorum, ex qua tantam percepit animi virtutem, tantam mentis inluſtrationem obtinuit, ut adhuc in terris poſitus converſari videretur in Coelis.

Laboribus igitur potius, quam grandaeva aetate, conſumtus, poenis ac tormentis adtritus, ſed praecipue Divino incendio exuſtus (corde etiam ignito jaculo tranſverberatus, ut in eodem adhuc integro exſtante adparet) ad finem peregrinationis ſuae per-

pervenit, coronam laborum percepturus in coelis; ac coelitus sibi revelato die obitus sui, pluribus sibi imminentem diem felicis exitus coelesti gaudio redundans manifestavit: jam vero ex debilitate decumbens invictum ab oratione animum non relaxavit, ac maxima devotione Sacramentis Ecclesiae munitus, ceterisque de more sacris expiatus, Angelorum choro septus, inter Sacerdotes psallenres, ad illa verba: *Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam*, laetus & gaudens mortuus est in osculo Domini circa horam quintam noctis die XII. Februarii MDCXXI.

Post discessum e mundo, coelesti gloria redimitus adparuit multis, ejusque gloriam D. O. M. contestatus est quamplurimis ad invocationem Dei Servi patratis miraculis, quae ab ejus vitae scriptoribus singillatim percensentur, quaeque in duplici super ejus beatificatione compilato processu, Ordinarii nimirum, & Apostolica authoritate confecto, exacte probata enumerantur, & iccirco a nobis omittuntur. Ad ejus funus tantus fuit populi confluxus, ut, ne discerperetur in frustra corpus, ex quo vestium particulas lacerare contendebant fideles tanti viri sanctitate permoti, ad illius tutelam custodes armatos adponere ad Ecclesiae ostium necesse fuerit, quibus praesedit D. Tiberius Carafa Princeps Bisiniani Servi Dei summopere devotus; cumque integro triduo ad populi devotioni satisfaciendum ejus corpus insepultum mansisset, nullus ex eo foetor efflavit, sed coelestem adhuc in eo erat gloriam demirari. Dum vero a Fratribus Missa de requie, ut in defunctorum obitu consuevit, de more cantaretur, ad ejus sanctitatem & gloriam enunciandam Organa sponte suum emiserunt sonum non sine stupore adstantium ad miraculi novitatem. Tractabile corpus pariter ita remansit vividum, ut post quadraginta ab ejus transitu horas extracto e pectore corde, tantus effluxerit sanguis vivus ac rubicundus, ut integra ex eo potuerit patina repleri, qui inde in vitrea ampulla repositus ad hodiernam usque diem, non sine miraculo, vividus ac rubicundus permanet; ex eoque, sicut ex aliis ejus reliquiis, suavissimus efflat odor, cujus rei, quum innumeri sint testes, testis quoque sum ego, qui non sine spirituali cordis dulcedine aliquando illum persensi. Cadaver ejus duplici contectum capsa, plumbea, nimirum, ac lignea sub terra ad laevam Capellae SS. Cruci-

fixi in Ecclesia S. M. Sanitatis de Neapoli fuit humatum, confluentibus ad ejus venerationem fidelibus, qui in monumentum gratiarum, quas a D. O. M. per intercessionem Servi Dei receperant, adpenderunt pridem depictas tabellas ac anathemata cerea, argentea, & alia id genus, quae deinde confestim post publicationem generalis decreti Urban. VIII. fuerunt inde remota.

Ejus Sanctitatem universim ab omnibus commendatam prae ceteris laudarunt, qui de eo aliquomodo verbum fecerunt, praesertim Nostrates Johannes-Michaël Lopez, (*a*) Theodorus Valle, (*b*) Franciscus Zaccone, (*c*) Dominicus Marchesius, (*d*) & ex exteris Caesar Engenius Caraccioli (*e*), aliique plures, qui etiam lato calamo adcurate, & distincte ejus Acta scripserunt, quae a me strictim & per epilogum fuerunt enunciata; quos omnes poterit quivis lustrare ad majora percipienda, quum juxta nostrum institutum satis sit haec adnotasse. Haud taedet tamen pauca selectiora testimonia inlustrium virorum adjicere ad majorem Servi Dei gloriam, cujus Beatificationem in dies exspectamus, quum jam pro ea peracta sit antipraeparatoria Congregatio.

Cl. N. F. Dominicus Gravina (*f*) ita de eo scripsit: „ Noster P. Frater Leonardus de Fusco Litterensis, patientiae, humilitatis, & ceterarum virtutum prototypum, qui in coenobio S. Mariae Sanitatis de Neapoli cum sanctitatis opinione decessit. Ejus sanguis e corde & intestinis post quadraginta horas cum exenteraretur, effluxit, & ad haec usque tempora 1624. in ampulla vitrea asservatus recens rubicundus & incorruptus cernitur; cujus vita & signa ordinario processu examinantur.

In Actis Capituli Generalis Mediolani coacti, & Romae impressis sub Magistro Ordinis F. Seraphino Sicco Papiensi, tale de eodem testimonium perhibetur. „ In Congregatione Sanitatis obiit P. F. Leonardus de Litteris, qui patientiam & humilitatem perpetuo coluit, charitate erga Deum & proximum flagravit, totus fuit in confessionibus audiendis, ut mortales

„ ad

(a) *Joh: Michaël Lopez* ubi supra.

(b) *Theodor. Valle* ubi supra.

(c) *Franciscus Zaccone* in Vita Jo: Leonard. de Fusco.

(d) *Dominicus Marchese* in Diar. Dominic. *T. I. ad diem* 12. *Febr. & in Vita N. Servi Dei seorsim edita*.

(e) *Caesar Engenius* Napoli sacra T. I. ubi supr.

(f) *Dominicus Gravina* Vox turturis *P. II. cap.* 23.

„ ad Deum revocaret: ejus sanctitatem testatur frequentissimus „ populi concursus, & mira, quae vestes praescindebar, devo- „ rio, quam appensis etiam ad sepulchrum argenteis & cereis „ imaginibus significarunt „. Similiter in Actis Capituli Generalis Tolosae MDCXXVIII. sub eodem Generali Magistro celebrati, dum ibidem ad calcem virorum, qui cum sanctitatis odore exierunt e mundo, catalogus contexitur, ita eos inter N.F.Johannes Leonardus commendatur: „ In Conventu S. Mariae Sa- „ nitatis P. F. Johannes Leonardus de Fusco Litterensis, cujus „ vita & gesta ordinario processu examinantur.

X.

F. Johannes Ricci de Rocca Aspri in Provincia Principatus Citerioris in nostro Regno natus, adhuc in saeculo degens pietatis operibus addictus Christianam vitam duxit; ac tam vigili custodia virginitatis thesaurum servavit, ut nec conloqui cum feminis unquam fuerit ausus, quinimmo ab earum adspectu declinaverit: quo ex momento transiturus aliquando per cubiculum, ubi plures aderant mulieres, & eas inter aliquae secum sanguine junctae, pallio vultum sibi cooperuit, ne eas conspiceret: eluxitque praeceteris in eo morum sanctitas, quum jam U. J. Doctorali laurea decoratus, & in foro Procuratoris munus exercens, animum a virrutis semita haud avertit. Dum autem ad annum aetatis suae xxix. pervenit fastidiens saeculum, ur ab omni terrena cura alienus Deo plene posset inservire, ad Convenrum S.Mariae Sanitatis pervolavit, ibique Clericali habitu fuir indutus a P. F. Augustino de Perusio in ipsis nostrae Congregationis primordiis, non quidem die 11. Julii MDLXXXV. ut Eugenius, & N. Vallius adnotarunr, sed die 11. Julii Ann. MDLXXXIV., ut habetur in libro Novitiatus S. Mariae Sanitatis, ubi Novitiorum ad habitum receptio & professio adnotatur, & quidem in primori authentico volumine illius loci signatur: nisi fortasse dicas laudatos Scriptores professionis annum indigitare voluisse. Novo habitu in novum hominem mutatus, vix potest edici ad qualem brevi pervenerit sanctitatem, qui adhuc in saeculo monasticam vitam duxit, & ex seria maturaque deliberatione dumtaxat ad Deo ex corde inserviendum vale saeculo dixit. Vel ex eo quippe ejus sanctitas posser dignosci, quia cum sibi in Confessarium & directorem delegit P. F. Johannes-Leonardus de Fu-

 sco,

ſco, de quo nuper eſt actum. Ut vero aliqua de eo dicamus, quae illius virtutem manifeſtent, non levia, eſto breviter, ſuae perfectionis monimenta promemus. Abſtinentia rara nunquam carnes comedit, niſi LX. aetatis ſuae anno, & a ſuſcepto habitu XXXI. quum gravi detentus infirmitate, Medicorum conſilio, ac Superiorum juſſu, ſed aegre nimium, & magna ſervara parſimonia, eiſdem veſci fuit coactus: univerſim autem toto vitae ſuae tempore ſemper tantam ſervavit ſobrietatem, ut nonniſi ſemel in die corpuſculum ſuum brevi edulio refecerit, vel ſolo pane aqua calida madefacto contentus, vel herbis coctis nullo condimento eis adhibito, vel ad maximam laetitiam, ac medicamen raro duobus gallinaceis ovis. Silentii, ac ſolitudinis amantiſſimus cellam ſibi ad ſtudium ſacrarum rerum, ac coeleſtium meditationem, uti deliciarum Paradiſum, ſibi conſtituit, ubi a ceteris, quum fas ei erat, ſecretus horas protraxit in dies, & tunc dumtaxat ex ea foras exibat, quum ad communitatis exercitia obeunda, vel ad divinas laudes in Choro, aut in Eccleſia ad fundendas preces adigebatur, vel tandem quum Superiorum juſſu ad infirmos mittebatur, quos ſingulari dulcedine ſolabatur, Deo reconciliabat, ad Paradiſi deſiderium elevabat. Rigidioris obſervantiae ac poenitentiae cuſtos, eaſdem retinuit veſtes cum in aeſtate tum in hyeme, & ut die indutus incedebat, ſic pariter eiſdem veſtitus nocte ſuper laneo ſacco paleis repleto, & ad ligni duritiem obſtricto, paululum quieſcebat, qui ante Matutinum in oratione pernoctans, ſolummodo poſt Matutinas laudes ad auroram uſque requiem laxo corpori indulgebat: & quamvis in ſenectute plurimis obnoxius morbis cum Fratribus media nocte in Choro Deum laudare nequiret, eadem hora de ſtrato ſuo ſurgens in cella Deo pſallebat, & poſt divini nocturni penſi ſolutionem, ac modicam illam indigitatam quietem, ſuas proſequebatur preces, & orationem de more pertrahebat uſque ad mane. Pluribus itidem mortificationibus, atque aſperitatibus deditus ſpiritui corpus, animae ſenſum ſubegit; & ita facillimum ei fuit ad mortem uſque inlibatam ſervare virginitatem, & ſpinis conſeptum cuſtodire lilium puritatis, pro cujus cuſtodia praeter diligentias ab eo adhibitas, & ſuperius enunciatas, hanc quoque adjecit, ut nec ullam corporis partem, praeter manus, & vultum, conſpicuam aliquando alteri fieri permiſerit, nec in ipſa quidem

infir-

infirmitate. Paupertatis rigidus observator nonnisi obsoletis, ac adtritis vestibus utebatur, nec quidquam in ejus cella erat reperire, quod maximam non redoleret paupertatem. In obedientiae custodia summo detentus zelo, sibi pene mortuus, ex aliorum arbitrio pendens, Superiorum voluntate vivebat. Regularis sanctiorisque observantiae factus exemplar summopere itidem eam promovit, saepius icciirco illud repetens: *Qui minima nenegligit, paulatim defluet*: quare Dei zelo succensus, sed caritate servata, levissimas etiam culpas pro munere suo in aliis corrigebat; quin etiam, dum in sacro Confessionis tribunali sedebat, sed comitate, ac lenitate servata, poenitentes parili modo arguebat, unde animos discipulorum ad nobiliora charismata promovebat ac inflammabat. Ne autem in tam sublimi Dei servi spirituali aedificio fundamentum omnino lateat, & basis suae perfectionis, hoc dumtaxat ad ejus humilitatis fastigium observandum satis erit, nimirum, quod misso nuncio omni honori, etiam activae ac passivae vocis, se omnium despicabilem voluerit, & tunc magis gaudens, quum aliqua fuisset injuria adfectus; tunc vero etiam in iracundiam exardescens, quum laudibus decoraretur: semper tamen hilari vultu incedens interiorem celaret devotionem, quam in solitudine adquisierat, qui coenobiticae vitae eremiticam quoque sociare voluit, non sine intuentium stupore. Cum omnibus comitate semper servata sibi rigidus & adversus semetipsum sancte severus, se ad omnem demissionem exercuit.

Quum autem ita nobiliter Dei miles in agone hujusce mundi certasset, cursum tamen suae vitae gloriosius consummavit, & ad optatum suae virtutis bravium, ac sui certaminis coronam pervenit. Poenitentiis potius maceratus, quam annis, variisque probatus morbis, Anno aetatis suae LXV. mundo vale dixit, & ad Coelestem patriam pervolavit. Prius tamen Sacramentis Ecclesiae munitus, eisque summa devotione perceptis, praesertim quia omnibus sui Ordinis vestibus, etiam cappa, indutus ad omnem Religionis cultum & actum sancte servandum, ea voluit recipere; nec sine magno satanae dolore, qui propterea in rabiem actus e lecto jam moribundum extraxit, cappam ab eodem avulsit, & per cameram raptatum semivivum reliquit. Ex hac autem cum doemone conluctatione validioribus resumtis viribus ad ultimum se disposuit agonem, & concrescente flamma avidius suspirans

ſpirans Coelum, optanſque mori & eſſe cum Chriſto, adpropinquavit ad palmam, & conſolatus conſpicua viſione V. Servi Dei F. Johannis-Leonardi de Fuſco (quum prius etiam viſitatus fuiſſet a V. P. F. Marco de Marthenifio) ejus olim ſpiritualis filii, qui paucis antea diebus conſcenderat Coelum, ſpoponderatque ſe ei adfuturum, ac auxilium praeſtiturum, feliciter obdormivit in Domino die XXVII. Februarii An. MDCXXI. Plurimis poſt ejus obitum horis diſſecta brachii vena a Fratre ejuſdem Conventus, vivus ac rubicundus ſanguis effluxit, qui etiam ita vividus ac liquidus fuit ſervatus: at num, & ubinam extet in praeſentiarum? nobis penitus ignotum. Ejus gloria fuit etiam coelitus oſtenſa, & ad eum venerandum turmatim populus confluxit, & quantum licuit ei brevi tempore, e defuncti cadavere excerpſit veſtium particulas: quandoquidem primores noſtri Patres aemulantes imitari acta Sanctorum, & pro viribus omnem effugere laudem, quam in dies conſequebantur ex pretioſa morte virorum ſanctitate inluſtrium, qui in eodem Sanitatis Conventu pie obibant, confeſtim communi coemeterio arca ligna incluſum una cum membrana, cui nomen Servi Dei, ejuſque obitus dies, & annus erant inſcripti, eum inferendum curarunt; & o utinam ſaltem ſcriptis omnia ejus acta mandaſſent ad aliorum profectum, qui omnem ſaecularem plauſum eliminare ſtuduerunt! Vel o utinam & cetera praeclara ejus facinora ad noſtram perveniſſent notitiam, quae majoribus noſtris apprime nota fuerunt! Fortaſſe non defuit, qui & omnia adcurate commendavit, ſed nobis, praeter jam dicta, cetera ejus opera latent. Quae autem hucuſque diximus authentica ſunt, atque ſincera; ejuſque cum laude meminerunt Caeſar Engenius Caraccioli coaetaneus Servi Dei, (*a*) NN. Theodorus Valle a Priverno (*b*), & Johannes Michaël Lopez (*c*), ex quibus N. Marcheſius vitam Servi Dei conſcripſit ac publici juris fecit (*d*). In utroque itidem Necrologio, nimirum, S. Mariae Sanitatis, ubi Dei Servus diem clauſit extremum, & S. Spiritus, uti pretioſa in conſpectu Domini ejus mors commendatur, plurimiſque aliis monumentis vita ejus ſancta, & glorioſus ejus obitus comprobatur; quibus omnibus omiſſis lubet

(a) *Caeſ. Engen.* Napoli Sacra T. 1. fol. 6:7.
(b) *Theod. Vall.* Huomin. illuſtr. pag. 300.
(c) *Lopez* Hiſtor. di S. Domenic. T. v.
(d) *Dominic. Marcheſ.* Sacr. Diar. Domnican. T. I. pag. 177.

bet impraesentiarum duo dumtaxat promere ad tanti viri gloriam jure merito commendandam. De eo namque ita scripsit Cl. N. F. Dominicus Gravina (a). „ Noster P. F. Joannes Riccius „ Fratris Leonardi confessarius mirae abstinentiae, & sacrarum „ constitutionum exactissimus observator, in eodem coenobio „ Sanitatis moriens, non levem sanctitatis opinionem posteris „ reliquit „. Acta itidem Generalium Comitiorum Tolosae MDCXXVIII. brevi elogio commendarunt ejus sanctitatem „ In „ Conventu Sanitatis obiit F.Joannes Riccius mirae obedientiae, „ & Regularis observantiae.

XI.

Fr. Thomas Maria Vitale Neapolitanus annos natus XIX. & menses IX. die XXVI. Decembris Ann. MDCXXII. in Conventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli ad Clericalem habitum receptus, & ad probationis annum admissus, sequenti vero anno uno ante professionem die capitulariter inter filios ejusdem Conventus adnumeratus, ut habetur in authentico vetusto codice ejusdem Conventus, ubi Novitiorum receptio ad habitum,& professio adnotatur *pagina* 236. ad talem tantamquam perfectionem brevi pervenit,ut inter ipsos tyrones sanctitatis se exemplar reddiderit,& in ipso suae juventutis flore ad virtutis & gloriae coronam meruerit pervenire. Anno siquidem XXII. aetatis suae non dum expleto, ac Subdiaconatus Ordine dumtaxat insignitus, die V. Aprilis (ut habetur in vetusto codice S. Mariae Sanitatis, ubi autographa subscriptio ejusdem Servi Dei exstat, vel Martii certo certius, ut habetur in perantiquo Codice MS. Conventus S. Spiritus, ubi idem diem clausit extremum) Ann. MDCXXII. innocuam sanctamque vitam pretiosa morte coronavit. De eo namque praenobile prostat monumentum in laudato vetusto codice Conventus S. Spiritus posterorum memoriae commendatum, quod exarare opportunum duxi, ne tanti viri memoria pereat, sicut perierunt alia MSS. nostrorum Acta commendantia: „ In hoc Conventu obiit F.Thomas Maria Vitalis Novitius „ professus Subdiaconus Anno MDCCXXII. mense Martio, qui „ erat puritatis & religionis cultor: hic agonizans summa laeti- „ tia, quasi excitatus, testatus est se vidisse Beatissimam Vir- „ ginem Mariam in comitatu Venerabilium Fratrum Marci de „ Mar-

(a) *Gravina* Vox turturis P. II. cap.23.

„ Marthenisio,& Joannis Leonardi de Litteris,ostendentem illi, „ & testificantem esse sibi in Coelis paratum locum „. O utinam & alia,quae deploravi deperdita,Nostrorum MSS.exstarent;plura dubio procul de eo darem:sed ad puritatem historiae servandam haec quae reperi, solummodo dedi, fortasse majora dabunt alii bono communi addicti, si eis sors obtigerit deperdita alia monumenta aliquando reperire.

XII.

F. Petrus Martyr de Trano in Apulia, in Provincia Terrae Barii juxta Regni nostri descriptionem, ejusque Provinciae Capite, ubi Regia Audientia residet (cujus autem cognominis fuerit hic V. Pater, & quo anno Clericalem susceperit habitum ex Majorum oscitantia,aut simplicitate,prorsus ignotum mihi,etsi omnem adhibuerim diligentiam ad rem exacte adnotandam) inter primores nostrae Congregationis alumnos jure merito cooptandus, ceu ille, qui in Conventu S. Mariae Sanitatis fuit ad habitum receptus, & inter illius Conventus filios adnumeratus, ut conligere potui ex vetusto Codice Collegii Montis Dei, vulgo *Campione*, seu libro Majori ejusdem Collegii, & obiter tradit etiam Theodorus Valle, (*a*) ab ipso suae probationis anno magnum quid portendere visus est, & Sacerdotio inauguratus ad sublimem pervenit sanctitatis metam. Maximae quidem fuit simplicitatis, majorisque devotionis: sacrarum Constitutionum, & rigidioris asceseos cultor laneo semper indusio ad carnes usus, nec unquam lineo aliquo indumento contectus, carnes numquam comedit,nisi in gravi infirmitate, Medici ac Superioris praecepto adstrictus; nec alibi unquam, nisi super sacco paleis repleto, brevem somnum excepit. Maxima exemplaritate refulgens,interna & externa pariter devotione insignitus,in sui admirationem, ac in aedificationem,& ad meliorem frugem plurimis evocatis,se virtutum omnium exemplar praestitit religiosissimus Sacerdos, qui cum intra Coenobii lares, tum extra Claustri septa semper Deum prae oculis habens, semper in coelestium meditatione defixus, cum Deo semper conloqui videbatur, semper propterea, aut Breviarium, aut Rosarium manibus deferens, ne ullo diverteretur exteriori objecto,qui totus erat elevatus in Deum. Tan-

(*a*) *Vallius* Huomini illustri &c. *pag.* 324.

Tanta itidem erga proximum caritate flagravit, ut non dubitarit pro fidelium salutè oppetere mortem. Nolae quippe in Campania pestifera lue grassante Anno MDC. ultro se obtulit in caritatis victimam pro fratribus suis; utque eis subveniret, eo festinanter advolavit, eisque e contagio infectis summa caritate Sacramenta ministravit, ac in obitu adstitit ad salutis coronam: nec ab improbo labore destitit eo adhuc tempore, quando, deficientibus ceteris Dei Ministris vel peste sublatis e mundo, vel etiam ad extremam infirmitatem deductis, solus ibi cum V. P. F. Johanne-Leonardo de Fusco in tam sancto ministerio obeundo remansit, & ad finem usque contagii ibidem perstitit; nec inde discessit, donec gloriose caritatis officium absolverit. Pluries Novitiorum educationi ac instructioni Magister praefectus eosdem pervigili cura, ac praenobili exemplo mirifice in viam perfectionis direxit. Conventus Montis Dei de Neapoli institutus Vicarius, (ordine XIV. a regimine Congregationis S. Mariae Sanitatis) per integrum quinquennium ibidem in laudato munere commoratus, maxima benignitate Fratribus praefuit, omnibusque propterea carus, omnes in exactae Regularis observantiae custodia manutenuit. Ecclesiae curae, ac spirituali saecularium profectui totus incumbens, hosce ad nobiliorem vivendi rationem perduxit, illam vero perpolivit, Divinum in ea cultum auxit; ex quo etiam tanta in beneficium laudati Conventus profluxit eleemosynarum copia ex fidelium tanti viri Sanctitate incensorum oblatione conlecta, ut sui Vicariatus tempore (quando nimirum annui reditus laudati Conventus nec quidem ad summam centum triginta aureorum pertingebant) in aedificium Claustri, Dormitorii, aliarumque officinarum, expensi legantur ducati septem mille sexcenti viginti quatuor, ultra pecuniam in capitale redactam, atque ex piorum dispositione in beneficium Conventus testamento legatam, ut ex eodem vetusto codice Collegii Montis Dei conligere lieuit,re tota bene perpensa. Meritis autem,plusquam annis, onustus ad extremum pervenit, omnibusque Sacramentis de more, nec sine magna devotione,expiatus die XIII. Februarii MDCXXVII. ad Dominum transiit laborum suorum coronam ab eo percepturus in Coelis, ut pie ab omnibus creditum est, ejusdem perfectione lustrata, & sanctitatis odore, quo etiam in morte fragravit, cunctis appri-

me noto: quare eo adhuc tempore, quo nulla in Fratrum cordibus vigebat ambitio excipiendi gloriam ex sanctitate suorum, quin potius simplicitate maxima detenti saepius nobiliora Sanctorum facinora, nec quidem memoriae commendantes, in oblivionem redigere consueverunt, immediate post funus idem F. Petrus Martyr in communi Fratrū coemeterio haud fuit sepultus, sed seorsim in testimonium suae probitatis fuit tumulatus in Capella S. Patris Dominici, ut in eodem vetusto codice adnotatur. Praeter Theodorum Valle nuper laudatum, ejus sanctitas commendatur in omnibus Necrologiis nostrae Congregationis, laudatur quoque, etsi obiter, ab Illustrissimo Episcopo Puteolano F. Dominico Marchesio (a), sed praeserrim ejus virtus itacum laude percensetur in Actis Capituli Generalis Romae coacti Anno MDCXLIV. „ In Conventu Montis Dei de Neapoli „ obiit P. F. Petrus Martyr de Trano vir summae simplicitatis, „ & exactissimus imitator morum, & sanctitatis bonae memoriae „ P. Magistri Fratris Marci de Marthenisio hujus Congregationis fundatoris. Obiit cum opinione sanctitatis, quam vivens „ apud omnes sibi comparavit „.

XIII.

F. Cornelius de Avitabile Neapoli ex honesta piaque familia natus adhuc ab infantia non obscura sanctitatis indicia dedit: conciones quippe lubentissime audiebat, ad sacram exomologesim, suam purificaturus conscientiam, non sine fervore, frequentissime adcedebat, & ut Deo intimius uniretur per vinculum caritatis, epulum, nempe, divini amoris, haud raro ad sanctam synaxim convolabat, summa devotione coelesti se convivio refecturus: heinc spiritali pabulo saginatus, saeculum fastidiens, optansque vivere in domo Domini omnibus diebus vitae suae, ut facilius feliciusque semper dilecto Deo adhaerens, in ejus via proficeret, & per virtutum gradus scalam sibi faceret ad sanctitatem, ad Praedicatorum claustra transire statuit; atque permotus sanctiori vita Fratrum Sanctae Mariae Sanitatis de Neapoli eo adcessit, ac summis precibus expostulato habitu Clericali, sui voti compos effectus, ibidem & pro eodem Conventu eodem sacro habitu fuit indutus die XIV. Julii MXDCI. In Noviatiatu ardentiori S. Spiritus igne succensus, in virtutibus, quas adhuc

(a) *Marchese* Tom. I. Diar. Dominic. *ad diem* 12. *Februar.*

adhuc puer in saeculo coluerat, mire profecit, ac novum hominem indutus ad nova ac meliora charismata adspirans, ad nova majoraque perfectionis incrementa devenit, maximopere ad eadem excitatus exemplo virorum inlustrium, quos aut conhieropaeos; aut condiscipulos, aut contemporaneos habuit, nimirum VV. Fratrum Johannis-Leonardi de Fusco, Johannis Riccii, Dominici Gravina, aliorumquu inlustrium illius Congregationis Patrum, quibus fuit magna necessitudine junctus, quosve heic laudamus, ut ex chronotaxi facillimum est perlustrare; sed praesertim sub disciplina V. P. Fratris Marci Maffei de Marthenisio sanctae conversationis spiritum hausit, selectiorisque doctrinae fontem ebibit optimae indolis adolescens, qui ad sanctimoniam, & ad eruditionem pariter juxta sui Ordinis institutum anhelabat. Puritatem, quam sibi desponsaverat ab ipso rationis usu, arcto foedere sibi copulatam ad obitum usque servavit inlaesam: paupertatis amantissimus custos, nec modicum quidem ab ejus perfectione, atque rigore declinavit: utque in integrum sanctumque holocaustum se Deo, ut sacrarat, offerret, obedientiam ita coluit, ut, propria voluntate subacta, aliorum jussibus parere, ab aliorum imperio ac nutibus pendere semper habuerit in votis. Ferventi orationi, ac jugi meditationi addictus binas sibi efformavit alas, quibus ad coelestia pervolaret. Studio sacrarum litterarum addictus talentum sibi a Domino traditum duplicavit sibi, & aliis proficuus: quare, post expletos omnes scholae agones pro merito ad magistralem lauream fuit evectus, qui nimium in litteris profecerat. In excipiendis fidelium confessionibus innumeros vel a vitiorum coeno extractos ad Christianam vitam perduxit, vel Deum timentes ad sanctiorem semitam evocavit; praesertim vero Sanctimoniales non paucas, quarum Gynecaeis a Neapolitanis Archiepiscopis Confessarius ac Director datus ac adsignatus, praesertim Anno MDCXXVI. institutus Confessarius Ordinarius Parthenonis S. Johannis Baptistae, vix potest effari qualem in easdem Sacras Domos & observantiam Regularem, & sanctimoniae fervorem invexerit vir Dei, qui & spiritu Dei actus, & doctrina pollens, atque eximia dexteritate valens suos alumnos ac discipulos in viam Domini exemplo dirigere, consiliis inluminare, atque in caritate fovere optime norat, & reapse feliciter

ter consueverat. Quo ex momento ejus fama undique reboante D. Johanna de Austria eum sibi in confessarium delegit, nec sine magno sui profectu, cui propterea librum ad perfectionem animam perducentem ab eo editum nuncupavit, ut in calce iterum expendetur. Pluries Novitiorum Magister institutus concreditos sibi alumnos ad arduum virtutis iter verbo & exemplo mire promovit, & qui summo zelo eos ad observantiam Regularem excitabat, ad eam amplexandam magna caritate perduxit, ut sincere fatetur Theodorus Valle a Priverno (*a*), qui Anno MDCXIX. eundem Dei Servum Magistrum habuit in Novitiatu S.Mariae Sanitatis. Pluries itidem Superioris munus obivit eadem caritate succensus, eodemque zelo inflammatus: quare exactam religiose vivendi formam ad amussim sacrarum legum vel in Coenobiis statuit, vel promovit, juxta qualitatem locorum, quibus praefuit. Fuit namque Prior Conventus S.Mariae Sanitatis, & Vicarius Generalis ejusdem suae Congregationis, necnon Apostolica authoritate Anno MDCXXVI. institutus fuit Prior Provincialis Provinciae Trinacriae, seu Siciliae ultra Pharum, ubi suae sanctitatis radios diffudit, ac aeternum sibi promeruit nomen. Tandem gloriose explero peregrinationis suae cursu ad Coelestem patriam evolavit Anno MDCXXXVI. ejusque mortem in conspectu Domini pretiosam contestati sunt fideles omnis conditionis, qui, ad eum in feretro jacentem, ut venerarentur, confluentes, & pie sunt exosculati in lacrymas profusi, & in monimentum propriae erga illum devotionis ejusdem vestium particulas catervatim discerpentes sibi reservarunt. Ejusdem etiam sanctitas digno encomio laudatur in Actis Capituli Generalis Romae coacti Anno Domini MDCXLIV. „ In Con-
„ ventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli obiit P. F. Cornelius Avi-
„ tabile Sacrae Theologiae Magister, qui per totam vitam, & ma-
„ xime in regimine pluries exercitato, fuit recti tenacissimus, ac
„ summae simplicitatis vir. Orationi mentali summopere de-
„ ditus, & observantiae Regulari nimis affectus, quem denique
„ summa charitate, & amore in Deum & proximum flagrantem
„ secura est mors religiosissima, populo ad ejus visendum corpus
„ undique concurrente, & vestium particulas auferente. „ Ejus quoque virtutem commendatam legi a V. Dei Servo F. Johanne Bap-

(a) *Theodor.Valle* Huom.illustr.della Provincia del Reg.pag.312.

Baptista de S. Petro in notulis ad librum receptionis, & professionis Novitiorum S. Mariae Sanitatis. Inter inlustres Regni Scriptores commendatur a Nicolao Toppio (a), qui ejusdem probitatem etiam commendavit, & novissime a N. Jacobo Echardo ita laudatur (b): „ F. Cornelius Avitabile Siculus Partheno-
„ paeus, Conventus S. Mariae *della Sanità* de Neapoli alumnus,
„ vir fuit doctrinâ, vitaeque sanctioris studio conspicuus, Sa-
„ crae Theologiae Mag. in actis Capituli gen. Olissipone anno
„ 1618. habiti promotus, omnibus etiam Ordinis muneribus in
„ sua provincia, & Congregatione *della Sanità* dicta functus est:
„ hujus aliquando Vicarius Generalis, & illius scilicet Regni Si-
„ ciliae Prior Provincialis assumtus. Obiit anno 1639. annis, &
„ meritis gravis apud suos, & in domo nativa sepultus. Ejus
„ habetur illustris memoria in actis Cap. gener. Romae 1644. in-
„ ter eos, qui cum sanctitatis fama obierunt. Meminerunt etiam
„ cum laude Vallius p. 311. & Toppius Bibliot. Neapol. quos
„ hic excipio. Scripsit
„ *Della vera vita religiosa con alcuni sermoni dedicato alle Mo-*
„ *nache della Concezione delle Spagnuole di Napoli.* Neapoli Felicis
„ Srigliola 1605. in 8.

XIV.

F. Horatius Spacca Neapolitanus non sine portento ad Ordinem evocatus, dum casu, & veluti per jocum ad eum invitatus, repente vale dicens mundo, ad Dominicana claustra evolavit. Dum enim Neapoli in magno foro Castri novi circulatorum ludis intentus staret, prae populi multitudine obiter pressus & excussus ab uno ex duobus Patribus Provinciae nostrae S. Thomae de Apulia illac transeuntibus, in iracundiam succensus exarsit in illum, veluti ultionem de eodem sumturus; at pacificus Sacerdos excusationem de involuntaria eidem inlata injuria adferens, se Apulum esse dixit negotiorum copia agitatum, ideoque adcelerantem in itinere gradum, qua excusatione exposita benigne eum invitavit ad Ordinem, & num vellet secum Materam in Provincia Lucaniae ad habitum Praedicatorum induendum commeare? hilari vultu ab eodem expostulavit: quum repente iratus juvenis, furore depresso, blande petens, ubinam exstaret Matera? ceu ille, qui nec e nostrae Urbis finibus unquam removerat

(a) *Nicolaus Toppius* Bibliotec. Napolet.

(b) *Jacobus Echard* Scriptor Ord. Praed. *Tom.* 2. *pag.* 485.

rat pedem, nec Regni geographiam a limine salutaverat; auditoque situ Lucaniae, nec intelligens quid ille diceret, eidem se socium dedit, nec ad suos, aut lares, aut domesticos reversus, Materam petiit, ubi Deo sic disponente, qui admirabili mutatione ad se eum vocaverat, nec ab illius Conventus Patribus, viris alioquin optimis, cognitus, sed a Deo actis, fuit ad Ordinem adceptatus, ac Clericali habitu indutus. Cum novo habitu novum pariter induit hominem, qui a Deo sic mirabiliter vocatus ad nobiliora facinora promovebatur, singulari gratiae dono protectus atque promotus. Ex tunc enim, quae retro erant, penitus oblitus, ad novam sanctamque metam animum direxit, & mentem, totumque se Deo sacrans, pristinam socordiam in adcuratam recte vivendi rationem, & juvenilem anteactam vitam otio ac ludis adplicitam, in exercitam virtutem in ipsamet juventa, sed super senes intelligens, commutavit; utque veri Dominicani partes feliciter sancteque obiret, cum Regulari observantia litterarum studium copulans, orationi ac meditationi simul ac feriae lucubrationi ad plicitus, brevi in utroque vir magnus evasit. Quare Lectoris gradu & honore juxta Ordinis formam insignitus, pluribus in Conventibus ejusdem Provinciae idem munus, Philosophiam ac Theologiam docendo, gloriose obivit. Ecclesiastes itidem, ac Confessarius institutus tanto Dei zelo animarum saluti operam navavit, ut verbo & exemplo plurimos vel a vitiis ad Christianam vitam evocaverit, vel a torpore ad sedulam virtutis exercitationem promoverit, ubique nonnullis ad meliorem frugem evectis. Sanctimonialibus itidem dirigendis praepositus, magnam, eamque improbam, adhibuit curam in eisdem dirigendis excitandisque ad perfectionis semitam; necnon in evertendis ab earum claustris deperditis quibusdam ganeonibus sacras Virgines conturbantibus, ita insudavit, ut non sine imminenti vitae discrimine suam expleverit sparram, sed non sine mirabili modo ad poenitentiam deducto nobili juvene vesano Sanctimonialis cujusdam amore capto, & propterea spirante minarum & caedis in Dei Servum vineae Domini pervigilem custodem.

Quum autem ex id genus operibus ab eodem exantlatis, necnon ex aliis suae virtutis ac sanctimoniae monumentis, atque momentis, fama ejus per Provinciam percrebrescente, ad varios ho-

honoris gradus se promotum iri dignosceret, ut gloriam omnem declinaret humillimus Dei Sacerdos, ex eadem Venerabili Provincia recedere, & ad nostram Congregationem convolare decrevit. Beneventum primo petiit, ubi a Vicario Generali ejusdem Congregationis, in Sancta Visitatione ibi commorante, benigne fuit exceptus, ab eoque, cognita Servi Dei virtute, praesertim divino in eo lumine lustrato, quo noverat eodem die e vivis excessisse in Conventu S. Spiritus quendam nostrae Congregationis Fratrem (quod certe sine revelatione scire nequiverat) sicut & postridie per tabellionem inde missum innotuit, ab eodem Vicario Generali juxta votum Dei Servi fuit adsignatus in Conventu S. Spiritus de Neapoli, ubi prius eum conlocare ex deficientia loci idem Superior jure renuebat. Tanta autem in laudato S. Spiritus Conventu virtute emicuit, ut, ea perspecta, a filiis ejusdem Conventus, obtenta prius a Sacra Congregatione licentia, inter alumnos ac filios ejusdem Domus (quod rarum omnino est) unanimi suffragio fuerit cooptatus. Ibidem autem orationi deditus, ac animarum studio intentus observantiam Regularem ad amussim sacrarum legum sedulo custodivit: in excipiendis fidelium confessionibus indefessus, in habendis ad populum concionibus assiduus, sibi & proximo nimium profuit; & ne fervor caritatis ejus inter arctos veluti cancellos reclusus sistere videretur, ulterius prodiit, & non sine evidenti periculo vitae fidelibus prodesse studuit, qui divino ardore aestuabat. Nisitam insulam non procul a Pausilippi promontorio, ac e regione Puteolorum, ubi Milites Hispanicae classis contagio infecti ad purgamentum relegati detinebantur, ultro libenterque se contulit, ac eisdem Sacramenta ministravit, adstititque in omni caritatis, ac spiritualis muneris exercitio; ibique tandiu mansit, donec morbus omnis desiit, ac contagii periculum prorsus evanuit. Ad suos reversus, quam amplexatus fuerat sanctioris vitae normam, mirifice promovit in orationibus, jejuniis, chori frequentia, ceterisque virtutibus, praecipue vero in sui contemtu. Verum esto omnem adhibuerit operam, ut doctrinam, qua pollebat, occultaret, tandem vel nolens prodidit illam: Heinc Lectoris munus ex obedientia iterum iterumque, non sine discipulorum profectu & aedificatione, exercuit, & sui ingenii monumenta publicavit, ut infra ex operibus ejus perspicere

cere erit. In Conventu S. Mariae Sanitatis, non sine ingenti cordis sui gaudio, adsignatus arctius ibi Deo in solitudine adhaesit, haud omissis tamen Apostolici viri partibus, ad quas ex professionis debito se obstrictum semper agnovit, & semper in via Dei proficiens. Rigoribus tandem, quibus puritatem servavit inlaesam, ac corpus spiritui subjugavit, plene adtritus, potius quam annis gravatus, pluribus a Deo donis in praemium suae virtutis, praesertim spiritu prophetiae, ornatus, ad finem dierum suorum pervenit, dieque mortis suae praecognito atque praedicto, die X. Julii Ann. Salutis MDCXLI. in eodem Conventu laetus exivit e mundo, Sacramentis Ecclasiae prius rite sancteque expiatus, ceterisque piis operibus in eodem agone de more completis. Ejusdem funus populi catervatim confluentes ad cadaver venerandum, & particulas vestium in reliquias discerpendas, glorificaverunt; sed D. O. M. nobilioribus signis Sanctitatem ejus manifestavit, & sepulchrum ejus reddidit gloriosum, variis ad ejus intercessionem impertitis gratiis fidelibus devotionis ergo ad Dei Servum confluentibus, quas legere est apud Inlustrissimum Episcopum Putoleanum Dominicum Marchese, qui ejus vitam in suo Diario scriptam edidit. (*a*) Commendarunt quoque ejus sanctitatem Theodorus Valle (*b*), & Acta Capituli Generalis Romae coacti Anno MDCXLIV. ubi in calce, dum inter viros sanctitate inlustres conlocatur, ita cum gloria percensetur. „ In Conventu Sanitatis obiit P. F. Horatius de Neapoli Lector, „ qui ex Provincia S. Thomae Congregationem Sanitatis veniens „ diu summa cum humilitate paupertate & obedientia vivens, „ puritate, ac spiritu prophetico clarus, maxima populi frequen- „ tia in morte fuit decoratus, ex cujus intercessione multas „ a Deo gratias fideles testantur se recepisse „. Commendatur quoque ejus doctrina & sanctitas a Nicolao Toppio (*c*), & novissime a N. Jacobo Echardo (*d*), qui, esto ex errore eum Apulum dicat, tamen brevi sanctitatem ejus insinuat, & adcurate ejus opera percenset. „ F. Horatius Spacca Siculus, origine. „ Apulus, & in Provinciae S. Thomae Ordinem professus, ex „ qua ad Congregationem *della Sanità* dictam, & ad Conventum „ ejusdem S. Spiritus ad Palatium Neapolitanum suam transfer- „ ri

(a) *Marchese* Diar. Dominican. *T. IV.*
(b) *Theodor. Valle* ubi sup. *P. IV.*
(c) *Nicolaus Toppius in Bibliothec.* *Neapol.*
(d) *Jacob. Echard.* Script. Ord. Praedicat. Tom. II. fol. 524.

„ ri affiliationem obtinuit: vir fuit disciplinae Regularis tenacissimus, rerumque coelestium, ac divinarum meditationi addictissimus, Theologiam in dicto S.Spiritus Conventu pluribus annis legit; & in Conventu S.Mariae *della Sanità* ejusdem Urbis obiit Anno MDCXLI. cum fama sanctitatis. Ejus celebris est mentio in Actis Capituli Generalissimi Romae MDCXLIV.& apud Vallium nostrum *Huomini illustri di Napoli* pag. 322. ubi, secreto gentilitio agnomine, a *Neapoli* nuncupatur ob diuturniorem forte in ea civitate commorationem. Laudatur a Toppio *Bibliot. Nap.* ut a quo haec ascetica prodierunt.

„ 1. *Medicina spirituale, libretto, nel quale si contengono varj remedj purgativi, e preservativi per l'infermità spirituale dell'anima, con belle invenzioni, che accendono l'anima al Divino amore dedicato alle Monache di Trani*, opella versibus Italicis scripta.

„ 2. *Una via breve e facile per giungere alla perfettione dell'oratione mentale. Operetta dedicata a D. Hippolita Caracciolo Marchesa di S.Marco.*

XV.

F. Gaudiosus de Cava, seu Cavensis, in Provincia Principatus Citerioris ad habitum FF. Conversorum sub initium nostrae Congregationis in Conventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli receptus die VIII. Junii MDLXXXIX. tanta excelluit virtute, caritate praesertim erga omnes, nemine penitus excepto, nemine peculiari fine distincto, ut in omnes profusus, omnibus inserviret: quare per plures annos ibidem Refectorarii munus exercens, labore summo, dexteritate magna, vigilantia summa insudavit, ut, nec vel unus, vel levissime, turbaretur. Simplicitate itidem eximius Regularem observantiam ita exacte custodivit, ut nec laboribus fractus, nec quovis, etsi improbo, munere detentus, semel a matutinis laudibus noctu in choro recitandis abstinuerit; quinimmo ad easdem matutinas laudes qualibet nocte ipse Religiosos dato signo excitabat, promeritus iccirco, ut eadem hora in Ecclesiam defunctus efferretur, qua ipse ad eam vivens cum Religiosis a se excitatis descendebat. Ab Alphonso Cardinale Gesualdo Archiepiscopo Neapolitano, instituto Rectore Seminarii laudatae Cathedralis Ecclesiae Sacerdote Ordinis nostri, eidem in socium fuit adsignatus idem F. Gaudiosus, qui tanta caritate

inservivit Clericis alumnis ejusdem loci, certe numero pluribus, ut communi omnium voce illorum Pater audiret: defuncto autem Cardinale Gesualdo confestim ad nativum Conventum rediit, & ad pristinos labores reversus, eisdemque operibus exercitatus ac laboribus adtritus sancto fine quievit die VI. Decembris MDCXXXIX.

XVI.

F. Vincentius Cangiano nobilibus parentibus e Florentina patritia Cangianorum familia Neapoli natus Anno partae Salutis MDCV. ac in paterna domo pie sancteque educatus, post humaniorum litterarum studia Christianam Philosophiam (uti Basilius, Chrysostomus, aliique, cum Graeci, tum Latini Patres Monasticen dicunt) addiscere, in eaque proficere exoprans, Ordinem Praedicatorum elegit, & die VII. Septembris MDCXX. inter filios Conventus S. Spiritus de Neapoli cooptatus, sequenti die Clericalem habitum suscepit in Conventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli, ubi sub directione V. P. F. Cornelii de Avitabile (de quo nuper est actum) tunc temporis Novitiorum Magistri mire profecit. Expleto autem probationis anno, & Studiis Artium primum, deinde Theologiae adplicatus, in eisdem sedulus, a perfectionis tamen semita nullatenus declinavit; quin potius ex Divinarum litterarum Scientia magis magisque inlustratus, atque ex coelestium mysteriorum notitia inflammatus, ad talem tantamque devenit virtutem, ut vix Sacerdotali Ordine insignitus, praeter Ordinis, & Congregationis nostrae morem, Novitiorum Magister in eodem Conventu fuerit institutus: quod certe arduum munus non sine caritate ac prudentia, maximaque itidem vigili cura, & suavitate conversationis exercuit; sed praesertim suo bene vivendi exemplo ceteris praelucens, quos verbo ad nobiliora charismata promovebat, brevi plurimos etiam efformavit sui spiritus, suaeque prudentiae discipulos & imitatores, quos itidem in Novitiorum Magistros seligere opportunum fuit, aliis vero ad observantiae Regularis custodiam non ignobiliter adductis: quare plures licuit admirari viros perfectione insignes, quos omnes Dei Servus suo magisterio fovit excitavit accendit. Adauxit autem Dominus novitiorum reverentiam erga tantum Magistrum, ad ejusque imitandas virtutes, ac ad devotionem aemulandam miraculo promovit, dum illius religionem prodi-

gio

gio commendavit. Orante enim illo coram pueruli Jesu in praesepi recumbentis icone, medio stante Deiparam Virginem inter, & Nutritium Josephum (ut moris est in nostra Urbe ad vivum, repraesentare Christi nativitatem in Bethleemitico antro) confestim ter inclinari visa est columba ex ferreis filis auro argento sericoque contectis, efformata, & ter itidem deosculari os pupuli Redemtoris, quod certe nullatenus casu evenire poterat, adligata eadem columba exstante, ac permanente in corolla florum sericorum, desuper circumdante cunas ad caput Salvatoris, instar arcus gloriae, grossioribus ferreis filis serico pariter contectis efformata: quare nonnisi per vim simul cum corolla poterat columba inclinari: quo ex momento Novitii omnes secum orantes, re luculenter perspecta, & novitate miraculi excitati, ad majorem fuere incensi devotionem, magisque demirati sunt eorum Magistri virtutem, qui ante praesepe majori succensus ardore orabat. Servatur autem usque in praesentem diem in laudato S. Mariae Sanitatis Novitiatu eadem lignea imago infantuli Jesu eadem corolla desuper eminente, cum eadem columba circumornata, & magna devotione colitur.

Fidei ardore succensus ad barbaras gentes, & infideles populos permeare nimium exoptans, ut sua praedicatione inlucesceret eis inluminatio Evangelii gloriae Dei, ipseque in aliorum salute procuranda, ac in dilatanda Christi fide sanguinem simul cum vita fundere posset, benedictionem enixe rogavit a tunc temporis Magistro Ordinis F. Nicolao Rodulphio, ut, ea obtenta, facillime posset a Sacra Congregatione de propaganda fide illuc dirigi, ubi desiderata mors simul & sors ei obtingere posset. Verum, Deo sic disponente, qui ad Apostolicum munus in Regno nostro obeundum praedestinaverat eum, quod cupiebat haud obtinuit, spe martyrii frustratus, qui animo & voto martyr revera fuit; at labores Apostolatus dumtaxat consequutus est, & ex labore mercedem, ut notum est cunctis. Adjunctus ergo in Socium Venerabilium Fratrum NN. Andreae de Sancto Severino Provinciae Regni, & Thomae Mansi Congregationis nostrae, insignium verbi Dei praeconum, ne dum per Urbis nostrae vicos, compita, & plateas, aut etiam per pagos, & oppida Neapolitanae Dioecescos, magno cum animarum, lucro conciones & catecheses ad populum habens, Missionarium Apostolicum agere consuevit;

L 2 verum

verum per universam Campaniam, Japygiam, Dauniam, Samnium, Calabriam, aliasque Regni nostri Provincias, immo per universum integrum Regnum circumiens, tam nobile munus exercuit; in ejusque exercitio incredibile pene est, quot susceperit subieritque labores, quot toleraverit poenas, quotve Christo pepererit filios in angustia animae suae, ceu ille, qui diu noctuque in sancto ministerio permanens, a cibo & potu interdiu abstinens, somni parcissimus, non sua quaerens, sed quae Jesu Christi, in nullo sibi providens, sed a Deo, qui dat escam pullis corvorum invocantibus eum, cibum vestitum omniaque ad sui vitam facientia exspectans, totus erat in animarum salute procuranda. E confessionali exhortans promovensque ad veram cordis contritionem poenitentes, & ad vitae novitatem sanctamque conversationem inducens fideles: e suggestu ter ac quater in die, aliquando etiam septies conciones ad populum habens: in privatis conloquiis ad charismata meliora excitans, & sancta consilia praestans: in congressibus Dei viam edocens: in compitis, in plateis evangelizans, sanctum & re vera Apostolicum munus obivit fervidus Dei Apostolus, factus omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaceret. Et quamvis ex improbo suscepto labore nimium foret adtritus, ut aliquando pene deficeret, tamen sibi nullimode parcens, nullo unquam tempore, nec vel ad horam quidem, destitit ab Apostolico ministerio, nullimode sibi indulsit, ut aliis prodesset: quare uberem segetem ex Evangelica praedicatione conlegit, ac copiosam messem in horrea Domini detulit invexitque. Odia intestina exstinxit, dissidia sedavit, compescuit rixas, abusus eliminavit, usurarios, meretrices, latrones, homicidas, ganeones, aliosque peccatores vitiis ac criminibus detentos, quin etiam ex peccandi consuetudine, in naturae vim conversa vita, ad desperationem usque adactos ad veram seriamque poenitentiam, cum spe veniae, & ad vitae novitatem perduxit. Miraculis etiam (quae praesertim N. Marchesius percenset) a Deo decoratus pietatem in populis, devotionem in fidelibus statuit, utque perseveraret in eisdem invecta religio ac sanctimonia, laïcorum confraternitates, praesertim ad Rosarii devotionem excolendam, Clericorum ac Sacerdotum Congregationes instituit, Sodalitia fundavit, plurimis ad sanctiorem vivendi normam adductis.

Quam-

Quamvis autem ex hisce ab eo exantlatis suae virtutis eximiis facinoribus facile conligi posset quantae fuerit perfectionis, qui pro Dei gloria ac pro salute populorum ita laboravit; ut tamen ea magis magisque, etsi leviter indigitata, clarescat, brevi cetera suae Sanctitatis monumenta prodere opportunum existimo. Eximia humilitate praeditus, demisse nimium de semetipso semper sentiens, nonnisi Dei gloriam ac sui contemtum in omnibus suis operibus exquisivit. Regularis observantiae tenacissimus, nunquam, vel in laboribus, secum dispensavit, sed jejuniis adsuetus, ceterisque rigoribus Ordinis, sanctas leges ac laudabiles consuetudines exactissime custodivit. In orationibus, in librorum piorum lectione, in meditatione, aliisque piis exercitationibus assiduus adscensiones in corde suo disposuit in hac valle lacrymarum, & adscensiones quidem nobiles ad beata Regna Coelorum. In puritatis custodia vigil virginitatem ad mortem usque servavit, nullis unquam, aut sensus inlecebris, aut doemons artibus superatus, qui invicta constantia etiam impuras feminas, quae fucata devotione ad ejus animum flectendum adcesserant, explosit fugavit devicit. Paupertatis amantissimus nulli temporali lucro, aut rei adhaesit, qui sibi thesaurum fecit non deficientem in Coelis. Obedientia rara propriam voluntatem aliorum imperio penitus subjugavit, nihilque tam jucundum solemne aut sanctum plus habuit, quam Superiorum jussibus, atque in sacris missionibus Praefecti nutibus parere.

Meritis igitur onustus, assiduisque laboribus confectus, ac diutinis poenis maceratus, in ipsa virili aetate ad finem dierum suorum devenit, coronam pro meritis recepturus in Coelis. Quare Tarenti in nostro Conventu S. Petri Imperialis febribus exustus, nec quidem in ipsa lethali infirmitate sibi parcens, ita vestibus indutus, ut missiones peragendo incedebat, in lectulo sibi parato decubuit, & gravescente morbo in poenitentia ac patientia percrebuit; febrili namque ardore exaestuans nec aquae guttam ad levamen & refrigerium poposcit, sed patienter sustinens morbi vim, morbique poenas, Crucifixo conformatus, nec flebilem emisit vocem in querimoniae signum, sed hilaris ac devotus, Psalmos poenitentiales concinens, viam sibi ad ultimum, stravit agonem; in quo positus, Ecclesiae Sacramentis de more, sed pie sancteque, munitus Deo se commendavit, nonnisi de Deo, aut cum

Deo

Deo proferens verba, qui in eadem infirmitate magis magisque Deo adhaerens ad ipsum solum sitiebat animae suae fontem vivum, ipsum suspirabat animae suae Sponsum, cupiens dissolvi & cum eo vivere in Coelis; suique emortualis diei certior ab eodem Divino Sponso factus, quem etiam & aliis Fratribus indicavit, eodem adveniente triumphali die, albo revera signando lapillo, ferventiori caritate in Deum raptus, dum ad ultimum devenit agonem, cum Crucifixo suo Sponso ad Patrem totius consolationis confugiens, cum eoque ingeminans postremi certaminis voces: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, ad praemium laborum suorum, ad mercedem sui Apostolici muneris evolavit die xxvi. Octobris Ann. MDCXLIV. Ejus cadaver statim ac in Ecclesiam fuit elatum, tanta populi frequentia, ac copia fuit veneratione honoratum, ut milites ad custodiam adponere necesse fuerit, ne a fidelibus catervatim inruentibus ad decerpendas vestium particulas, corpus etiam scinderetur in frusta, Sacrisque pro eo de more factis, adstantium lacrymis ac laudibus fuit ei adclamatum, factumque est propterea sepulchrum ejus gloriosum.

Ejusdem servi Dei memoria exstat inlustris in utroque Necrologio, S. Mariae Sanitatis, nimirum, ac S. Spiritus: ejus acta conscripsit Inlustrissimus Episcopus Puteolanus (a), sed singulari elogio eum commendarunt Patres Capituli Generalis Romae coacti Anno MDCL. qui in calce Actorum, ubi de Viris Sanctitate Inlustribus agitur, ita ejus virtutem posterorum memoriae commendarunt: „ P. F. Vincentius Cangianus Lector, filius Conventus S. Spiritus de Neapoli, exemplar puritatis, obedientiae, & „ paupertatis, qui Sacerdotio initiatus mox commissum sibi „ munus praedicandi verbum Dei strenue amplexus est. Campanos, Salentinos, Japyges, Daunios, Brutios, Lucanos, „ Picenos, Samnites, aliosque populos eo fine peragrans, ab „ omni hominum genere suspiciebatur colebatur; innumeros „ obstinatos, aut de propria salute desperantes ad Deum reduxit: odia inveterata extinxit, dissidia composuit, ac pro zelo animarum pluries vitae discrimen subiit, feminas sub larva „ devotionis castitati ejus insidiantes generose abegit, ignem „ aliquando invalescentem, jamque obvia quaeque depascentem

(a) *Dominicus Marchese* Tom. V. Diar. Dominic.

„ tem ſigno crucis repreſſit; nil poſſidens, nil ſecum ad uſum „ deferens, nonnumquam cibo quoque deſtitutus, attamen quater, interdum ſepties uno die concionabatur; quibus laboribus inſiſtens tandem vita functus eſt in Conventu Tarentino „ magna poſt ſe relicta opinione ſanctitatis, populis ad funus „ confluentibus, veſtiumque fruſtula decerpentibus.„

XVII.

F. Petrus de Lacunigro in Lucania natus (& *ſenior* dictus ad diſcrimen alterius Fratris ex profeſſione, origine, & nomine paris) Converſus, filius Conventus S. Spiritus de Neapoli, vir ſanctus deſcribitur tam in Necrologio ejuſdem Conventus, quam in vetuſto codice, in quo deſcribuntur, & adnotantur filii ejuſdem Conventus, ubi *pagina* 3. ita ejus virtus laudatur.„ Frater Petrus de „ Lacunigro primus hujus nominis, alias dictus Atlante, Con- „ verſus, filius hujus Conventus, vir ſanctus & bonus, qui pluſ- „ quam quadraginta annis fuit Sacriſta minor Eccleſiae noſtrae „ S. Spiritus, tandem obiit cum opinione ſanctitatis die XI. Ju- „ nii MDCXLVIII. in hoc Conventu.„ Peculiaria ejus acta laude digna rimari fas mihi non fuit, etſi omnem adhibuerim operam ad ea luſtranda: incuria quippe Noſtrorum facile perierunt eadem ab aliquo ex Veteribus adcuratioribus deſcripta, & dubio procul a noſtro Aſcanio Criſpo, de quo infra in III. Claſſe verbum faciam. Addent, ſi Superis placet, alii, quibus fortaſſe aliquando innoteſcent MSS. quae exſtant in noſtris Bibliothecis, quaeque mihi nunc evolvere non licet.

XVIII.

F. Ambroſius de Parma, natione Lombardus, profeſſione Converſus, ac filius ejuſdem Conventus S. Spiritus de Neapoli, ſingularis obſervantiae Regularis, ac rigidioris aſceſeos cultor, jejuniis, ac jugi abſtinentiae addictus, qualibet nocte poſt matutinas laudes in Eccleſia orationem pertrahens, ac poſt ferventem meditationem in Deum exaeſtuans, corpuſculum ſuum uſque ad ſanguinis effuſionem flagris caedebat, ut ſpiritui caro ſubjecta nunquam adverſus eum decertaret, aut concupiſceret: patientiae autem, ac humilitatis ſeſe vivum ac nobile praeſtitit exemplar, ſemper in ſui contemtum intentus, ſemperque ab aliorum voluntate, ac Superiorum nutu pendere paratus; tantaque caritate, praeſertim erga pauperes, enituit, ut communi

ni omnium calculo pauperum pater audiret. Quum enim ex Superiorum jussu quinquaginta solidis annis in praefato S.Spiritus Conventu obiisset munus Ostiarii (cujus est praesertim dapes, panem, vinum, aliamque stipem adventantibus pauperibus dispertiendo erogare) in egenos caritate effusus omnibus sedula cura subvenire studuit, nulla eorum (ut adsolet) querimonia calumnia aut injuria exacerbatus, omnibus compatiens, semper hilaris, ac omnia pro Christo alacriter sustinens, pacificus semper, & in verba suavia effusus, demandatam sibi spartam exsecutus ministerium caritatis implevit. Meritis tandem & annis plenus, prope centenarius, sancto fine quievit in eodem suo nativo Conventu die XVII. Julii An. MDCLII. Ejus sanctitatis famam contestatus est adventantium confluxus ex omni genere personarum, omnique hominum coetu ad eum in feretro jacentem devote venerandum, atque ad vestium ejus particulas sibi in reliquias dissectas conservandas; sed praesertim ejus funus decoravit Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Sabellus Archiepiscopus Salernitanus, qui ad eum in Ecclesia jacentem in loculo invisendum ex devotione adcurrens, defuncti manus magna fuit veneratione piaque reverentia exosculatus, ut habetur in ejus sinceris actis adnotatis in vetustissimis ejusdem Conventus S.Spiritus codicibus: quare & a Patribus ejusdem epochae nomen hujusce Dei Servi fuit convenienti encomio in Necrologio adnotatum.

XIX.

F. Raymundus Rocco Neapoli ex patre Litterense Patritio natus Anno MDLXXXIII. pieque educatus, ac ab ipsa pueritia lacrymarum dono insignitus a Deo, atque devotioni nimium addictus, ut facilius feliciusque Domino inserviret, ac innocentiae stolam in baptismate receptam, & ad eam usque diem servatam inlaesam ad obitum usque custodiret propria virtute decoratam, Religionem ingredi, ac Regularem vitam profiteri statuit; sed coelesti lumine inradiatus in Ecclesia S. Mariae Sanitatis (quam oratum intraverat) ut ibidem sibi eligeret domum ad vitam sancte transigendam, actutum divinae vocationi adhaesit, post dilectum invitantem cucurrit; factoque sibi obvio, nec sine admirabili Dei dispositione, Cive suo F. Johanne-Leonardo de Fusco, eidem suum aperuit votum, ab eoque in sancta vocatione confirmatus ad Prioris pedes convolavit, eundem eni-

xe

xe rogans, ut ad Ordinem reciperetur, factusque ex illius promissione sui voti compos, hilaris domum rediit, esto brevi amaritudine repletus in lacrymas fuerit ex dolore solutus, varia doemonis arte a consecutione gratiae imploratae impeditus; verum obice omni tandem evulso, adceptatusque in Filium ejusdem Conventus S.Mariae Sanitatis die XVII. Junii Ann. MDCI. a P. M. F. Ambrosio Guglielmini fuit Clericali habitu indutus. Laetus igitur ovansque de obtento, quem suspiraverat, favore confestim sibi ad perfectionis metam viam sternere sategit, humilitatis, & obedientiae fundamentis innixus: quare omne adhibuit studium, ut sibi mortuus ab Superiorum ore penderet, sibique vilis, atque contemtus, nonnisi Dei gloriam quaereret in omnibus operibus suis. Exacto tyrocinio, studiisque de more adplicitus, Philosophus, ac Theologus haud mediocris conditionis brevi evasit, & Presbyter inauguratus, quamvis, jam absoluto studiorum curriculo, juxta Ordinis stylum foret pro merito Lectoris gradu decorandus, utque promoveretur fuisset itidem excitatus, nunquam tamen adduci potuit, ut tali insigniretur honore, quinimmo, ne ad id ex obedientiae praecepto cogeretur invitus, ferventes ad Deum preces effudit, cupiens in spiritu humilitatis sine ullo honore, absque ulla temporali gloria vivere in Claustro; & exauditus tandem perpetuo se voto adstrinxit ad nullum deinde honoris gradum ascendendi, ut semper abjectus esset in domo Dei.

Procul igitur ab omni scholastico nobiliori agone, qui jam in inferioribus plene erat exercitatus, ad elevatioris Theosophiae fastigium animum direxit; quare adscensiones in corde suo disposuit per jugem orationem, assiduamque meditationem, ad octo usque horas orandi, meditandique mora protracta; utque in meditatione dolorum Christi Redemtoris plenius Crucifixo sponso conformaretur, extensis in modum crucis brachiis, sex vicibus in die orabat, qualibet vice dimidiae horae spatio ad clepsydram emenso, atque probato: & quamvis ex hac orandi forma non levem pateretur dolorem, haud sibi unquam temperavit, aut ab orandi fervore recessit; quin insuper ardentius currebat post dilectum cruci suffixum. Augebatur tamen, ac concrescebat dolor quum ariditate spiritus, ac derelictione, omni morte amariore, probatus a Deo, interius exteriusque adfligebatur.

batur. Verum tot inter tormenta e pedibus Servatoris non recedebat, sed factus in agonia prolixius cum eo Patrem orabat, & cum eodem calicem felle & aceto mixtum bibens, verum se obtulit Deo sacrificium cruentum, ac holocaustum amoris, ex quo uberes sibi promeruit gratias, ac coelestes fuit consecutus favores. Supernis namque consolationibus recreatus a Deo, adhuc in valle lacrymarum degens Paradisi deliciis redundare coepit, coelestibus conliquescere gaudiis, divinisque decorari favoribus, saepius in ecstasim raptus, aliquando (at brevi tempore) interea dulcedine perfusus, visionibus recreatus, & prae suavitate spiritus in altum fuit elatus. Et quamvis hasce delicias invicta animi constantia recusaret, semper optans pati cum Christo, ejusque doloribus participare, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemta: heinc ne, saltem in propatulo, & coram aliis, praesertim Divina faciens in Altari (quando prae suavitate spiritus, ac violentia divini amoris coelestibus redundabat deliciis) raperetur in altum, aut ecstasim pateretur, mire se comprimebat, aut labia mordens, aut digitos sibi contorquens, aut alio se exteriori tormento adfligens, eo tamen pervenire non potuit, ut eas plene impediret; sed saepius in lacrymas profusus, saepius abstractus a sensibus, aliquando etiam tribus cubitis elevatus a terra, conspicuus quamplurimis factus, divinos nequivit occultare favores. Verum qui ad optatam non potuit pervenire gratiam, ut coelestes occultaret sibi conlatos favores, ad hoc tamen pervenit donum, ut in ipsismet coeli deliciis atrocibus cruciaretur tormentis: quare eas inter animi dulcedines, ad tempus recreatus, confestim ad alias subeundas interiores poenas gressum faciebat. Ex meditatione dolorum Christi corpore & animo adtritus, praesertim qualibet VI. Feria aliquo sive interno, sive externo Domini tormento in corde, vel in corpore cruciatum patiebatur, juxta qualitatem dolorum, quibus omnium Servator fuit adflictus: quapropter ea die meditationis ejus locus erat theatrum poenarum, ejusque oratio in amaritudinem conversa non modicum eum excruciabat. Hac igitur jugi & perpetua meditatione detentus, ex Divina praesentia sibi familiari, ac individua comite, ubique sequebatur dilectum, & ex tam nobili societate mirum est, quot nobiles reportaverit fructus, quotve consecutus fuerit bona. Semper enim & ubique devotus,

tus, mente semper in Deum intentus, divina caritate succensus ardebat, semper in preces effusus, semper ad virtutum incrementa, ad animi puritatem, ad nobiliora charismata contendebat, proficiebatque in via Dei: sed semper hilari vultu erat, semper jucundus adspectu, vario licet cruciatu adflictus, ac aegritudine adfectus.

Quum autem ita foret per ardentem caritatem Deo conjunctus, fieri nequivit, quin etiam foret totus in proximi amorem effusus; & revera pro Dei honore, pro animarum salute zelatus se ipsum obtulit in holocaustum amoris; & quidem nedum aut in excipiendis confessionibus Sanctimonialium, eisque in viam perfectionis dirigendis (variis hujusce Urbis sacrarum Virginum Parthenonibus ejusdem curae ab Archiepiscopis Neapolitanis maturo consilio concreditis) aut etiam in Novitiorum educatione, & instructione eidem pariter ab Ordinis Superioribus demandata, eaque non sine peculiari illorum profectu, quos verbo & exemplo ad capessendam sanctioris vitae viam promovit; verum etiam in omnium fidelium salute procuranda, promovendaque sedulus semper, semperque fervens. In catechesibus, concionibusque habendis, in exomologesi illorum excipienda, eisdemque salutaribus consiliis praestandis, horas protraxit & dies, nunquam taedio adfectus, nunquam labore fractus, nunquam ex laxitudine desistens, factus semper omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaceret; ac dubio procul non sine magno sui incommodo: quum innumeri, & pene omnes ex omni genere hominum ad eum confluxerint, sive Principes & nobiles, sive Senatores & Togaros, sive Jurisperitos & Medicos, sive ex omni populo laïcos, sive etiam ex utroque Clero saeculari ac Regulari, ipsos quoque primores Praelatos ac Praesules spectes, qui omnes ad eum veluti ad Magistrum in omni Theologia, ac in Canonico Jure doctissimum, & expertissimum directorem dono consilii a Deo dotatum, atque ad Patrem caritatis viscera habentem, dietim ac catervatim confluebant, ut ei suas conscientias aperirent, ab eo exciperent consilia, obtinerentque directionem, aut levamen animarum suarum. Pauperibus itidem ab inopia sublevandis intentus, a divitibus stipe obtenta, eorum necessitatibus occurrit, coelitus etiam quandoque provisus, ut posset illorum inopiae subvenire. Et quia inter miserabiliores pauperes, majori uberio-

rique levamine indigentes, juremeriro adnumerabat animas defunctorum piacularibus flammis detentas, urpote quae nec sibi possunt prodesse, nec sibi, ut alii prosint, possunt ad eos suas emittere voces, ac dirigere preces (esto hae per fidem nobis resonent, magnoque fragore reboent per Ecclesiam) Dei Servus, ut eis prodesser, & virtute sanguinis Christi, ut earum *fieret plena remissio, aut certe, ut tolerabilior foret ipsa damnatio* (ut M.P. Augustinus (a) loquitur) semper *Sacrificia sive Altaris, sive quarumcumque eleemosynarum* (b) pro eisdem offerebat, suosque cruciatus ac labores, poenasque omnes, sive interiores, sive exteriores, quas patiebatur, in illarum levamen Domino offerebar.

Ut autem compendio rem hanc totam exsolvam, quum praecipue mei muneris haud sit omnia ejus acta singillarim expendere, qui breviter Virorum inlustrium Acta commendo, ulteriora apud alios consulenda remittens, verbo dicam: omnium virtutum corona redimitus emicuit. Eluxit namque in eo fides supernaruralis, eaque viva & operans, qua impulsus summo animi ardore oprabat pro veritate dogmarum tuenda, dilatandaque apud infideles, ac barbaras genres, labores ac cruciarus pati, morremque subire. Praevaluir in eo spes solida in D. O. M. Provisorem, & praesertim in ordine supernarurali, a quo per merita Jesu Christi Servatoris se fore salvandum firmissime speravit. Splenduit in eo caritas Divina, de qua ubertim est actum. Observantia Regularis, eaque exactissima ad amussim sacrarum legum, & consuetudinum suae Congregarionis ita in eo emicuit, ut in ipso foret conspicere vivum sanctioris Monastices exemplar: heinc paupertas, mortificatio, ascesis, rigidiorque disciplina ad corporis edomationem tanta fuit in ipso, ut contra se dumraxat truculentus foret, qui aliis benigne compariebatur; & qui erga omnes cariratis viscera nurriebar, adversus semetipsum saeviebat jejuniis, frigore, inedia, flagellis, vigiliis, omnique genere poenarum. Angelica puritas, rara modestia, demissa humiliras, commendanda prudenria, invicta constantia, omnesque pariter in eo virrures mirabiliter emicuerunt. Insignitus quoque a Deo fuit gratia miraculorum, dono prophetiae, ac cognitionis cordium, & occultorum, quorum insignia proferunt monumenta

(a) *S. P. Augustinus* in Echiridio Cap.CIX.

(b) *Idem S. P.* ibidem.

menta suae vitae Scriptores, quaeque impraesentiarum viritim expendere longum nimis foret trahere funem.

Laboribus autem ac poenis, plusquam annis, gravatus, jam Coelo maturus ad finem peregrinationis suae tandem, nec sine triumpho, nec sine bravio, pervenit; utque magis purgatus, magisque decorus ad coelestem gloriam evolaret, diutina ac gravi infirmitate detentus, fuit a Domino visitatus. Verum dolores inter, & aegritudines, quibus fuit excruciatus, hilari semper vultu, laetusque perseverans, neminem a se ex confluentibus in ipsamet sua infirmitate moerentem dimisit; & quamvis in termino dierum suorum catervatim, & quotidie adcurrerent nuper laudati fideles, suique spirituales filii, discipuli, ac alumni, nullo fastidio devictus, omnes caritate excepit, satisfecit omnibus, ceu qui in fine dierum suorum ardentius eos dilexit, quos Dominus concrediderat ei. Novitios itidem ad eum ita decumbentem delatos a V. P. F. Johanne Baptista de Deodatis tunc illorum Magistro, ut eis consilia salutis praestaret, maxima comitate adlocutus, spiritu Dei plenus excitavit ad perfectionis iter, & semitam sanctitatis. Ad ultimum vero cum doemone conflictum se praeparans, mirum est quot subierit in extremo agone insultus, esto ad triumphum ei cesserit diabolica tentatio, quum viriliter debellato hoste (a quo etiam per desperationem fuit e lectulo extractus, per cellam pertractus, laceratus atque contusus) gloriosius properaverit ad palmam. Sacramentis Ecclesiae tandem pie, sancteque susceptis, conmunitus Indulgentiis, aliisque piis operibus in Ordine consuetis vallatus, & majori ardentiorique caritatis igne succensus, inter vulnera Crucifixi Redemtoris, velut in caverna maceriae electa Dei columba suum conlocans in agone nidum, in eaque gemens prae amore, ac suspiria ex caritate emittens, optansque tunc certe ferventius dissolvi, & esse cum Christo, coelesti visione recreatus, Coelitumque corona sociatus, Crucifixum complexus, & in ea extrema verba prorumpens: *Triumphator animae meae tibi commendo spiritum meum*, hilaris & gaudens e convalle plorationis transiit ad amoena regna Coelorum die 11. Aprilis Ann. Domini MDCLV. Ejus gloria statim piae Sanctimoniali fuit a Deo manifestata, eumque ex tunc venerati sunt uti sanctum fideles omnes, ne dum ex infima plebe ad ejus manus pedesque deosculandos, ac vestium par-

ticulas

ticulas discindendas confluentes, verum Equites, Principes, selectique omnes, praesertim ex utroque Clero insignes viri: quapropter ad omnium devotioni satisfaciendum, ut biduo insepultum ejus cadaver in Ecclesia prostaret, operae pretium fuit. Adfuit prae ceteris Felix Tamburrellus Vicarius Generalis Neapolitanae Ecclesiae, qui juxta decretum Urbani VIII. locum ejus cadaveri destinavit ad laevam Capellae S. Thomae Aquinatis. Post ejus funus autem plurimas sibi a Deo gratias concessas, ac plura miracula ex ejus intercessione fuisse patrata, fideles contestati sunt, quae N. Dominicus Marchesius memoriae commendavit.

Varia sui ingenii monumenta eruditionem, ac devotionem redolentia, MSS. reliquit, quae ad hanc usque diem in eodem Conventu S. Mariae Sanitatis servantur, & quae certo certius iccirco a Toppio, Nicodemo, ac N. Echardo fuerunt silentio praeterita, quia eisdem omnino ignota; sed revera eadem esse, quae modo percensebo, eaque autographa tanti viri, notum est, & compertum ex proprio charactere comprobato, & ex veterum traditione semper custodita. Sunt autem haec

Affectuosae Loquutiones inter sponsum, & animam ejus sponsam interno lumine cognitae.

Li cento cinquanta frutti suavissimi di centocinquanta considerazioni sopra i misterj del SS. Rosario.

Postille sopra il Cantico Magnificat.

Sermoni, e Meditazioni per la novena di Natale, del Patriarca S. Domenico, per la santa communione, e dolori di Giesù Christo.

Ejus memoria exstat in utroque Necrologio S. Mariae Sanitatis, & S. Spiritus. Laudatur a V. F. Johanne Baptista de S. Petro, a P. F. Seraphino de Ruggeriis (*a*), praesertim a N. Inlustrissimo Marchesio, qui vitam ejus ex probatis monumentis conscripsit (*b*), sed praesertim praeclaro elogio ejus Acta commendarunt Patres Capituli Generalis Romae habiti Ann. MDLVI.
„ Anno superiori mense Aprili sancto fine quievit Ven. P. F. Raymundus Rocco, solitus omni Feria sexta (qua demum mortuus est) Christi passionem experiri, inflicto aliquo interno, vel externo corporis sui cruciatu. Fuit is semper humilitatis „ stu-

(a) *Seraph. Rugger.* Histor. della Madonna di Puzzano.

(b) *Marchese* T. II. Diar. Dominic.

„ studiosissimus, unde nec ullum gradum litteratium (tametsi „ eruditione praestaret multis) neque officio Prioratus, Vicariatus Generalis, aut similes honorum titulos pluries oblatos unquam admisit, ea dumtaxat munia non recusans, quae nil „ dignitatis, at plurimum laboris afferunt. Tota ejus vita perpetuum fuit exemplar observantiae, mortificationis, patientiae, charitatis in Deum, & proximum, zeli divini honoris, „ ac salutis animarum: singulari pollebat gratia in gubernandis conscientiis, in cujusvis ordinis, sexus, ac status personis „ per sacrae perfectionis compendia deducendis, in convertendis ad bonam frugem peccatoribus. Interim gustu coelestium „ consolationum, ac spiritalis dulcedinis ultro, ac libenter (quod „ rarum, & magnum) tota pene vita caruit, uno semper contentissimus amaro calice divinae passionis aridaeque desolationis; unde familiare ei erat axioma: *Oportet Deum amare sine glossa*. Extremo decumbens morbo, tametsi medicorum judicio summis, & continuis per omnia membra doloribus excoqueretur, gemitum nullum edidit, nec solis medicis, sed unicuique hoc illudve fomentum, seu suadenti, seu vetanti, obtemperavit instar triennis infantuli. Trigintaquatuor ultimis „ vitae suae diebus, quos in strato doloris exegit, certatim e tota Neapoli velut ad commune oraculum confluebant personae „ devotae, primores, variorum Ordinum Religiosi, quin & „ per litteras feminae Deo dicatae, illustres matronae, omnis „ generis poenitentes, &c. ut a supremo decumbentis ore ultima haurirent suae salutis documenta, quibus ille singillatim „ universis pia monita dispensans, ita de mane usque ad vesperam satisfaciebat, ut suimet morbi, ac mortalium dolorum, „ quibuscum extreme colluctabatur, videretur non meminisse. „ Denique post longam octodecim pene horarum a sensibus alienationem ultimo vitae die sibi redditus, ac rursus oculos aperiens, mirum qua vultus serenitate, qua ex porrectae frontis „ repentina laetitia, constanter defixis in Coelum luminibus, „ brachiisque sursum aliquoties elevatis tanquam bravium apprehensuris, felicem spiritum ad superos emiserit. Non desunt „ qui ex decumbentis, alii, qui de praemortui virgineo corpore „ quandam fragrantiam senserint; cadaver biduo insepultum „ ob confluentis populi devotionem, ac tumultum inferri tumu-

„ lo

„ lo non potuit, octies revestiendum fuit, omni ejus operimento
„ toties a fideli multitudine minutim direpto.

XX.

F. Calixtus Tartaglione de Marthenisio in Campania, seu in Provincia Terrae laboris in Dioecesi Capuana, Clericali habitu indutus in Conventu S. Mariae Sanitatis in primordiis ejusdem nostrae Congregationis, die, nimirum, XXIX. Septembris Ann. MDLXXXVII. primitias spiritus hausit, & socius factus tot insignium virorum sanctitate inlustrium ad perfectionis culmen brevi pervenit; cumque Regularem exactissimam vitam inibi coluisset, ad eam alibi firmandam destinatus, in munere Prioris Provincialis, non sine laude, rexit Provinciam S. Catharinae Senensis, *de Aprutio* dictam. Diu luminibus orbus, sed interiori radio inlustratus, ac coelestibus meditationibus recreatus, in spiritu humilitatis ac patientiae graves morbos laetus sustinuit, ac demum grandaevus ac meritis plenus die X. Aprilis Ann. MDCLV. inlucescente Feria V. in Coena Domini ad coelestes epulas evolavit, ac transivit ad lumen claritatis aeternae, post se magno sanctitatis odore relicto: qua de caussa a nostris Patribus verae sanctitatis discretoribus seorsim a communi sepulchro tumulatus fuit in Capella SS. Crucifixi. Sanctitatis nota insignis describitur in utroque Necrologio, Sanitatis, nimirum, ac S. Spiritus. Ulteriora ejus Acta singillatim adnotata ad meam notitiam non pervenerunt, sed dubio procul, quae aliquando exstiterunt, nunc aut perierunt, aut pulvere, & blattis repleta alicubi delitescunt, quae si fortasse aliquando reperientur, a sodalibus adjicientur ad gloriam tanti Viri. Quae autem breviter adnotavi, ex vetustis authenticisque monumentis excepi.

XXI.

F. Johannes-Baptista de Deodatis ex nobili progenie natus Anno MDLXXXVI. in terra S. Petri, *in finibus Regni*, dicti, quia in ultimis finibus Provinciae Terrae Laboris, seu Campaniae Felicis: quare ex natalitio solo dictus universim fuit *de S. Petro*, ab infantia devotioni addictus, piisque operibus deditus; nec sine doemonis rabie, qui propterea sub larva serpentis eum bis invasit, ut territum opprimeret, sed, invocato Jesu nomine ab adolescente devoto, desperatus fugit, evanuitque. In liberalibus scientiis, ac in utroque Jure, Caesareo, nempe, & Pontificio

tificio eruditus, ut nobiliora capesseret studia, atque ad Sanctorum scientiam perveniret, annos natus XXI. a Deo invitatus, ac coelesti vocatione ad Praedicatorum Ordinem adcitus, die 11. Februarii, Purifacationi Deiparae sacro, Anno ab ejusdem Virginis partu MDCVII. in Conventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli Clericalem habitum induit pro Conventu SS. Rosarii Barrae, cui fuit adfiliatus. In Novitiatu haud ignobilia praebuit suae virtutis indicia, exactoque probationis anno, Studiisque Ordinis de more addictus, in litteris, & sanctitate ita profecit, ut se dignum exhibuerit, qui ad Presbyteratus Ordinem revera idoneus, juxta Patrum doctrinam, & Ecclesiae Canones, promoveretur. Verum Sacerdotio initiatus, absolutoque Studiorum curriculo, nunquam adduci potuit, ut Lectoris gradum susciperet, qui adhuc tunc inter eruditos primum tenebat locum, utpote insignis Philosophus, Rhetor, Poëta, in Mathesi perdoctus, haud ignobilis Astronomus, in utroque Jure eruditus, ac in omni Theologia celebris. Ad servandam quippe humilitatem, utque ab omni alio docendi munere alienus Deo solum inservire posset, faciliusque ac expeditius fidelium saluti operam navaret, vel ab ipso titulo, & gradu Lectoris abstinuit, propria occultata virtute. In Conventu S. Mariae Gratiarum terrae Plagiani in supercilio montis sito adsignatus diu eremiticam vitam duxit, sed ab exercitiis Praedicatorum Ordinis minime sejunctam: quare reliquum, quod ei post obita laudata munia supererat, tempus, ab omni hominum consortio separatus in concavo antri non procul a recinctu Conventus in meditationibus ac orationibus consumebat, plurimisque ibi horis commorans, Deo solitarius adhaerens, ad sui corporis mortificationem, suique spiritus purificationem se se jugiter exercebat; atque ex solitudine magis magisque Divina caritate succensus ad ulteriora virtutum incrementa adplicuit animum & vires. Diu noctuque orationibus insistens in Deum semper erat mente intentus, jejuniis addictus, rara abstinentia ita sese maceravit, ut nonnisi pane, ac crudis herbis, & fructibus vesceretur, nec nisi frigida extingueret sitim: ceteris itidem adflictitationibus deditus angelicam potius, quam humanam ibi transegit vitam; sed tanta coelestium luminum, ac suavitatum copia refertam, ut in Deum mente elevatus, & corde, ad quinque usque horas unius Orationis Dominicae recitationem protraxerit, superna contem-

N pla-

platione detentus. Non defuit tamen ibidem ei conluctatio, & saeva quidem, cum hoste humani generis, ac satellitibus ejus, semper tamen de omnibus reportato triumpho. Variis namque terriculamentis a Satana oppetitus eum devicit, atque protrivit: à filiis iniquitatis ad sanctum Inquisitionis tribunal ut reus delatus, & ex obedientia dumtaxat ibidem sui met excusatione vera ac fideli deducta, in examine innocens repertus, cum decore fuit dimissus, & per sententiam innoxius declaratus.

E Solitudine illa à Superioribus evocatus ad alia sui Ordinis alibi exercenda munia, quot coelestibus flammis circumdatus atque succensus recesserit, qui ita se ibi in meditationibus, jejuniis, ac mortificationibus exercuerat, facile erit intelligere, & exinde pariter dignoscere cuique licebit aliorum profectum ex operibus ejus. Novitiorum instructioni curae & educationi semel, & iterum praefectus, eos verbo, & exemplo ad divina charismata promovit, tantaque praevaluit gratia vel in excitandis debilibus, vel in inflammandis devotis, vel in consolandis adflictis, vel in scrupulosis sedandis, tentatisque sublevandis confortandisque, ut dubio procul Angelus Divina nuncians, & a Deo missus ad tam nobile opus ab omnibus diceretur, quod & ego excepi ab antiquis Patribus, qui fuerunt ejus discipuli, sed praesertim a V. P. D. Antonio de Torres, qui ab eodem prius fuit directus in vocatione coelesti, & electione status; nec quidem sine prophetico spiritu (quod etiam in processu Beatificationis ejusdem V. P. D. Antonii authoritate ordinaria efformato, cui ego ut Judex praesedi, probatum habetur) & dum cum ceteris alumnis V. Congregationis Piorum Operariorum ad tam insignem Magistrum Spiritus a proprio Superiore fuit delatus, ad sanctiorem metam fuit promotus. Directioni, & curae Sanctimonialium nostrarum S. Catharinae Senensis in Urbe Neapolitana praepositus tantam in Gynecaeo illo flammam succendit, tantum in earum corda Spiritus Paracleti ignem invexit, etiam dum populari tumultu Parthenope perturbaretur, ut vel exteriori symbolo D. O. M. eam suis Servis voluerit manifestatam. Post matutinas namque laudes Carthusienses Ascetae S. Martini in superiori parte Urbis nostrae ad proprias cellas revertentes, quieta nocte, ac sereno Coelo, Monasterium laudatum S. Catharinae viderunt circumquaque ac desuper flammis septum, atque inradiatum, necnon

ex

ex exteriori incendio coelitus facto inhabitantium ardorem erga Deum bene noverunt. Qui vero ita Novitiorum, ac Sanctimonialium sui Ordinis profectui vacabat, nunquam tamen destitit a Saecularium salute procuranda, quos vel e confessionali, vel e suggestu, vel in privatis conloquiis ad bonam frugem, aut ad nobiliorem vivendi formam promovit.

Ut autem ejus virtus, ex qua tanta in alios profluebat Sanctimonia, penitius rimetur, esto ex aliis ejus operibus modo indigitatis haud ignobilia monimenta excipiantur, aliqua singillatim ejus facinora laude digna commendare oportet. Utque ab humilitate, quae basis est, & fundamentum virtutum, exordiamur, maxima procul dubio in eo emicuit humilitas, dum omnes respuit honores, & gradus in Ordine; sed praesertim interior illa, qua semetipsum exinanivit, tantum virum jure merito exaltat: Cujus rei, esto innumera praesto sint monumenta, illud prae ceteris commendare lubet, quod praeclarius jure merito censetur, utpote quo omnino se despicabilem etiam posteris curaverit. Dum enim Novitiorum curam gereret in Conventu S. Mariae Sanitatis, libro ejusdem Novitiatus, cui ceteros inter alumnos, & ipse erat adscriptus, immediate post suam subscriptionem ad firmandam professionem propria manu pridem peractam, haec ad sui contemtum verba adjecit: *Vixit hic frater prorsus inutilis sibi & religioni, quisquis charitate praeditus es, ora pro anima ejus*. Ex eodem humilitatis momento obedientiam exactissimam, propria voluntate despecta, ad mortem usque servavit: paupertatem, rerum omni proprio commodo evitato, perpetuo custodivit: Fidem operibus comprobatam, ac maxima in Deum spe sociatam corde retinuit, ore fuit confessus, & pro illa mortem subire optavit: Regularis observantiae, ac sacrarum legum tenacissimus custos fuit: Angelicam modestiam in vultu deferens, ac in omni gestu, motu, & cunctis operibus suis manifestans, vivum se aliis ea in virtute praesertim praebuit exemplar. Virginitatem inlibatam ad obitum usque, nec sine mortificatione corporis, nec sine poenitentiis, custodivit. Tanta autem praecipue in Deum caritate exarsit, ut ei solum vivere, pro eo pati, & mori habuerit in votis: Semper Deum prae oculis habens, in Deum corde & animo rapiebatur, illius honorem zelabat, in eum adcenso deferebatur adfectu; sed tunc praesertim Divino

N 2 aestua-

aestuabat ardore, quum vel ante Aram principem coram Augustissimo Eucharistiae Sacramento procumbebat, vel Sacra facturus ad altare adcedebat. Nedum summa religione adorabat Regem sacris symbolis occultatum, verum tanto divini ardoris impetu in dilectum suum deferebatur, ut ex eo artuum ossiumque concussionem patiens, nec inter poenas ab ardenti amore desistens, vivam se obtulerit hostiam Deo, qui propterea variis signis Servi sui devotionem, & caritatem voluit manifestam: quinimmo ex tam nobili ardore ad intimam illam cum Deo unionem devenit, ex qua Coeli delicias adhuc in terris participavit. In oratione, ac meditatione assiduus coelesti meruit lumine inlustrari, quo occulta dignoscere, spiritus discernere, futura praedicere potuit; utque omni divino decoratus favore adpareret, qui totus erat Deo per caritatem unitus, enituit etiam gratia miraculorum, quae singillatim N. Marchesius enumerat, & apud eum consulenda remitto.

Cupiens vero dissolvi & esse cum Christo, qui Jesu Christi gloriam semper quaesierat, & pro Christifidelium salute impendi, & superimpendi semper optaverat, ut liberaretur de corpore mortis hujus Deum enixe rogavit, & tunc praecipue, quum vitam suam Deo obtulit pro filiis suis; atque a Deo exauditus, & emortualis sui diei conscius factus, obitum suum longe ante praedixit, sicut & Divinum flagellum Urbi nostrae imminens in pestilentiae morbo, aliis praenunciavit, seque ad ultimum agonem bene paravit, ut de hoste, quem semper protriverat, extremum reportaret triumphum. Grassante igitur in nostra Urbe lue, & ipse pestilentia ictus ex adsistentia vigili suis Novitiis infectis exhibita, praenunciata socio suo F. Thomae Cano Novitiatus paedagogo incolumitate obtinenda post morbum, quo ille itidem erat infectus, ad finem dierum suorum devenit; & cum dilexisset suos alumnos, in finem dilexit eos, quum iis ad se adcitis, & ad votorum observantiam, Sacrarum legum custodiam, & aemulationem charismatum meliorum exhortatis benedictionem impertiens, dona Dei, Coelique bona eis fuit adprecatus, & Sacramentis Ecclesiae communitus totus in Dei amore liquescens mortuus est in osculo Domini die XIII. Julii Anni exitialis MDCLVI. A suis novitiis in arca lignea, ex tabulis lecti, ut ea in angustia eisdem agere licuit, compacta repositus, in communi

Coe-

Coemeterio ab eisdem fuit tumulatus. Verum Anno MDCLXIII. Vicarium Generalem nostrae Congregationis agente laudato F. Thoma Cano jam Magistrali laurea decorato, instantibus itidem quampluribus Saecularibus, iisque primoris Ordinis, primique nominis, ejus sanctitate permotis, fuit inde remotus, & tumulatus seorsim in Capella SS. Nominis Jesu e regione Sepulchri V. P. F. Marci Maffei de Marthenisio, adposito insuper lapide ad memoriam tanti viri. Coelestem quoque ejus gloriam pluribus manifestavit Dominus, ejusque sanctitatem & doctrinam commendarunt nedum uttumque nostrum Necrologion, & MSS. plura apud nos exstantia; verum etiam laudatus Marchesius, qui ejus vitam publici juris factam conscripsit, (*a*) Nicolaus Toppius (*b*) D. Ludovicus Sabbatino de Ansora Congregationis Piorum Operariorum (*c*), aliique plures, e quibus seligere lubet testimonium, quod de eo profert Cl. N. Jacobus Echard, (*d*) qui dum ejus opera percenset, ita de eo verbum habet: „ F. Johannes Baptista a S. Petro Siculus, in Regni finibus natus, Ordinem in Congregatione *della Sanità* dicta professus est, in qua diu cum magna Religionis laude, nec minore doctrinae fama claruit: excutiendis assuetus peccatorum conscientiis, sanandisque idoneus, atque versatissimus, unde frequentes ad eum de gravioribus difficillimisque moralis Theologiae quaestionibus interrogaturi viri optimates, Religiosi, Praesulesque infulati confluere solebant. Sic de eo Toppius *Bibl. Napol.* addens & anno demum MDCLVI. ad Superos hinc abiisse cum sanctitatis etiam apud omnes, & populares fama, cum prius in lucem edidisset hoc titulo

„ *L'infocato Soliloquio del devoto Gerlaco* Neapoli in 12. Opusculum ab eo Latino Gerlaci vernacule redditum

„ *Del riflesso dell' huomo interiore di Tiberio Amalfi*. Neapoli Beltrani 1650. in 8. Liber non solum ab eo vernacule versus, sed recensitus, auctus, & adornatus. „

XXII.

(a) *Marchese* Sacr. Diar. Dom. Tom. IV.

(b) *Nicol. Topp.* Bibliot. Napol.

(c) *Sabbatino* Vita di D. Antonio de Torres:

(d) *Jacob. Echard.* Script. Ord. Praed. T. II. pag. 584.

XXII.

F. Callixtus de S. Chirico, vulgo *Messanello* dictus ex nativo oppido Massanello in Lucania (hodie in nostro Regno Provincia Basilicatae) ad Clericalem habitum receptus in Conventu S. Mariae Sanitatis die XVII. Julii An. MDCIX. & adfiliatus Conventui SS. Rosarii, seu S. Mariae Sanitatis Barrae (ex quo tamen Apostolica dispensatione transfiliatus ad Conventum S. Mariae Sanitatis de Neapoli die XX. Novembris MDCXXXI. eidem fuit incardinatus, ut adnotatur *fol.* 314. Libri Novitiatus S. Mariae Sanitatis) tantam sibi ex motum honestate, vitae sanctimonia, ac litterarum gloria promeruit famam, ut ubique in nostro Regno, & extra, praesertim in Italia, ejus reboet nomen. Monasticis studiis adplicitus ita profecit, ut integro emenso Studiorum curriculo Magistralem lauream pro merito fuerit consecutus. Qui autem in regendis cathedris docendisque discipulis fuit eximius, in concionibus ad populum habendis omnem certe praeripuit palmam Evangelicus praeco. Rara facundia, eximia in dicendo gratia, sed praesertim divino zelo dotatus, & in Sanctorum doctrina eruditus, innumeros certe a peccatorum coeno ad poenitentiam, vel tepidos ad ferventem erga Deum caritatem adduxit in tam sancto Ministerio, quod multifariam obivit, vel conciones e suggestu habendo, vel catecheses ad populum, vel particulares instructiones agendo, & dietim per nostram Urbem gyrans, in carceribus inclusis, ad triremes damnatis, pauperibus mulieribus, ac ociosis in plateis, & in compitis existentibus, Dei verbum cum fervore praedicans, Rosarium B. Virginis expendens, ad salutarem devotionem vera contritione ac seria multorum conversione sociatam plurimos adduxit. Utque uberior foret messis, quam in horrea Domini ex tam laborioso pervigili opere deportaret, socios sibi in S. Missionis munere ne dum ex Ordine nostro sibi delectos, quos per Regnum fere integrum secum duxit fervidus Praedicator, adscivit, sed in Urbe & in oppidis hujusce Dioecesis Missionarium agens, Presbyteros Saeculares etiam (ut ostenderet indivisam esse Evangelii praedicationem, ac in tam sancto ministerio nullum sibi locum vindicare zelotypiam, nullum in eo schisma fore admittendum, ubi omnes simul confluere debent ad populorum salutem, pro qua Sanguinem fudit omnium Plasmator atque Redemtor) socios

cios & discipulos habuit, quos proinde ad idem Ministerium ubique habendum promovit, ut non sine fructu demirari est in eisdem. Per Regnum vero cum aliis sui Ordinis alumnis idem obiens munus plures Christo lucrifecit, pluribusque in locis devotionem plantavit; promulgavitque ubique reverentiam ac venerationem Deiparae sancta meditatione mysteriorum fidei in recitatione Rosarii sociatam, Confraternitates erexit, Sodalitia instituit, ac Regulas pro eisdem ad omnem virtutem, ac pietatem excolendam aptissimas, omnium ore laudatas, & non semel ab Ordinis Magistris, ac Comitiis Generalibus ceteris observandas praescriptas.

Ut vero proximis opportunius salubriusque provideret, exemplo eis praelucere studuit, utque Deo acceptabile foret tam insigne caritatis ministerium, seipsum Deo sacrare in hostiam virtutis adcurato studio sategit: quare & vota sua Deo reddidit in omni puritate conscientiae, & Regularem observantiam exactissime coluit; utque sarta tecta custodiretur insudavit, dum Vicarii in capite, & Prioris munus exercuit in laudato S. Mariae Sanitatis principe Conventu. Quanta vero erga Deum caritate flagrarit vir Dei, vel ex eo potest acu tangi, quia pro salute proximorum ac Dei gloria se victimam obtulit, deditque animam suam pro fratribus suis. Anno quippe nostro Regno nimium exitiali MDCLVI. grassante in Urbe lue pestifera, nec mortem pe timescens, protinus ad ministranda infectis Sacramenta prosilivit, summa caritate eosdem excitavit ad poenitentiam, & ad transitum in osculo Domini adstitit cunctis, nec ullo modo sibi pepercit, ut aliis subveniret: quare contracto ex contagio pestifero morbo mense Julii obdormivit in Domino, magno post se relicto virtutum odore, in utroque Necrologio propterea commendatus, & ab Inlustrissimo Marchesio pariter laudatus (*a*), & a Vallio (*b*) inter viros sanctitate conspicuos recensitus. Reliquit etiam non ignobilia sui ingenii monumenta, ex quibus ea, quae sunt typis commissa, & ab aliis laudata, recensere lubet, in medium producto testimonio N. Jacobi Echard (*c*), qui ita eum commendat ex Toppio. (*d*)

„ Fr. Ca-

(a) *Marchese*. In Vita F. Thomae Manzo.

(b) *Theodor.* Valle Huom. illustr. della Prov. del Reg.

(c) *Jacobus Echard* Script. Ord. Praed. T. II. pag. 557.

(d) *Nicolaus Toppius.* Bibliot. Napol.

„ Fr. Calixtus de Miſſanello Neapolitanus Baſilicata Provin-
„ cia ortus floruit circa medium Seculi XVII. ſcripſit ac edidit te-
„ ſtibus Vallio, ac Toppio.

„ *Regole, Coſtituzioni, eſſercizj ſpirituali, ceremonie da oſſer-*
„ *varſi nelle Congregazioni, e compagnie del SS. Roſario.* „

„ Editio IV. Neapoli Franciſci Savio 1647. Priores editiones
„ ibidem. Ex eo opere ceteris Italiae Congregationes formam ac-
„ cepiſſe teſtatur. „

In Bibliotheca S. Mariae Sanitatis adſervatur ejus *Quadrageſimale*, ſeu conciones omnes Quadrageſimali tempore haberi conſuetae, opus jam ad limam redactum ac praelo paratum, utpote cui adnexa eſt licentia M. Ordinis, & adprobatio Cenſorum, quod tamen, morte praereptus, publici juris facere nequivit.

XXIII.

F. Matthias de Horto in Terra Oliveti in Provincia Principatus citerioris in noſtro Regno natus, & Anno MDCXXIII. in Conventu S.Spiritus ad habitum, & ad profeſſionem ſtato deinde tempore receptus, atque inter illius Conventus filios cooptatus, ab ipſa pene infantia veri Chriſtiani ſe ſpecimem exhibuit, ac de virtute in virtutem in Ordine proficiens, humilitatem, caritatem, orationis ſtudium, & Regularem obſervantiam exactiſſime coluit ac cuſtodivit. Urbem noſtram ac Regnum devaſtante contagio Anno MDCLVI. dum Oſtiarii munus ſumma modeſtia, ac caritate in eodem ſuo nativo Conventu exerceret, peſte ictus vivere deſiit in terris die XXIV. Julii ejuſdem Anni, ut in aeternum viveret in Coelis, maximo poſt ſe relicto ſanctitatis odore, ut excepi cum ex Necrologio, tum ex aliis Codicibus Conventus S. Spiritus, ubi eodem Anno a viris fide dignis emortualis ejus dies commendatur ex virtute ejuſdem religioſiſſimi Fratris Converſi.

XXIV.

F. Raymundus Benettus (ſeu, ut habetur in vetuſto Necrologio S. Spiritus, F. Raymundus Maria Bonetti) nobili genere ortus ex Patre Paulo Bonetti de Valdivia, Neapoli primam ſalutavit lucem, ibidemque ad habitum Clericalem admiſſus in Conventu S.Mariae Sanitatis die XVI. Octobris MDCXLI. pridie quam profeſſionem emitteret, inter filios Conventus S. Spiritus fuit adgregatus XVIII. Octobris MDCXLII. Quantae fuerit virtutis, vel ex eo rimari fas eſt, quia ad ſtudia promovenda & Regularem obſer-

servantiam propagandam fuit Romae in Conventu S. Xysti adsignatus, ubi etiam caritatis, qua flagrabat, insignia monimenra praestitit, mortem pro animarum salute ultro oppetens. De eo namque ita adnotatum legitur in vetusto Codice filiorum S. Spiritus pag. 85. „ Hic R. P. fuit Theologiae Lector, & obiit Romae „ tempore pestilentiae illius Urbis cum maxima aedificatione il„ lius Civitatis, quippe quasi solus Sacramenta per publicas vias „ aegris eo tempore ministrabat. „ O utinam & prisci nostri Patres omnia ejus acta percensuissent, dubio procul nobiliora in eodem essent nunc commendanda: verum vel ex hoc tam insigni ejus facinore ceteras ejus virtutes fas est argumentari. Nobile etiam de eo testimonium perhibuit N. P. M. F. Vincentius Fontana (a) ita ejus virtute commendata. „ Anno MDCLVII. grassante „ adhuc in Urbe lue, & defuncto superiori Anno P. Francisco „ Massa, ut diximus, in ejus locum suffectus est a Magistro Ge„ nerali pro confortandis infirmis, ac Sacramentorum admini„ stratione P. Raymundus Binettus Neapolitanus in Conventu „ S. Sixti tunc ex obedientia permanens, qui singulari ardore „ caritatis succensus, dum infirmis ex corde inserviens sibi non „ caveret, eodem morbo correptus, deposito carnis onere, ad „ Christum brevi tempore perrexit, cunctis eum pene deplorantibus. „

XXV.

F. Raymundus Kunrath, natione Germanus, patria Bambergensis, nobili ac Senatoria stirpe natus die xv. Decembris MDCXXV. ac sub cura piissimi Avunculi Christiane educatus, post Grammaticae, ac Rhetoricae studia, ob specialem erga Deiparam devotionem Praedicatorum Religionem, sub peculiari Virginis Matris tutela fundatam ac constitutam, maturo consilio delegit, & die VII. Octobris tunc Solemnitati SS. Rosarii Virginis sacro, Anno ab ejusdem Virginis partu MDCXL. in Conventu Erbipolensi Clericalem habitum indutus, ibidem magna devotione, ac exacta Regulari observantia probationis annum exegit; parilique devotione servata, toto Clericatus sui tempore studiis scholasticis sedulo incubuit, ac Sacerdotio ex obedientia inauguratus (qui pridem ex humilitatis momento ab eo refugiebat, indignum se tanto gradu ac fastigio existimans) confestim ad V. P. M. Or-

O dinis

(a) *Fontana* Monument. Ordin. pag. 668.

dinis F.Johannem Baptiſtam de Marinis ſupplicem direxit epiſtolam, eum enixe rogans, ut in aliquo Italiae Collegio eum adſignaret, ubi ſerius, majorique profectu, Theoſophiae operam navaret, re eadem Deiparae commendata; nec ejus votis defuit Beatiſſima Virgo, quae dum in ſomnis ſe illi conſpicuam fecit, locum ſuae eruditionis atque majoris in virtute progreſſus indigitavit, demonſtrata per effigiem in eadem requie Eccleſia S.Mariae Sanitatis, cujus pridem nullam habuerat ideam: quare ab eodem Ordinis Magiſtro Romam adcerſitus, & inde Neapolim miſſus, atque in eodem Conventu S.Mariae Sanitatis adſignatus in Studentem Collegialem, ut primum Eccleſiam intravit acu tetigit non phantaſiam ſomniumque fuiſſe laudatam in requie viſionem, ſed coeleſtem revelationem certi futuri eventus, quum in vigilia eum ad locum perveniens id conſpexerit ea in Eccleſia, quod per ſpeciem imaginariam fuerat eidem nocte repraeſentatum: quandoquidem eandem reperit ibi Deiparae marmoream ſtatuam in abſide conlocatam, eademque forma inſculptam, quam viderat in ſomnis; magnoque cordis jubilo exultans feſtinanter ejuſdem Conventus ſcalas conſcendit, ubi requiem ſibi a Deipara indigitatam adeſſe cognovit. Reperit ibidem ſtudiorum Regentem Cl. V. Fr.Franciſcum Zaccone (de quo infra) Magiſtrum in Scholaſticis nedum, verum & in Polemicis eruditiſſimum, ſub cujus magiſterio mire poterat ad plurimorum ſalutem inſtitui per nobilia ſtudia, ut reapſe evenit: quandoquidem ab eodem Cl. V. peculiari inſtructione ſeorſim eruditus in Polemicis controverſiis, facilius feliciuſque potuit adverſus Novatores dimicare, plurimis eorum ad Catholicam fidem adductis, ut poſt pauca expendetur.

Emenſo igitur laudatorum ſtudiorum curriculo, confeſtim Apoſtolico muneri addictus, in ſalutem animarum vires adplicuit & opus; utque nobilius inſiſteret proximorum ſaluti animam ſuam pro iis dare non refugit, fuitque unus ex plurimis, qui anno adflictae Urbis noſtrae MDCLVI. in certiſſimo mortis periculo ſe ſe commiſerunt peſtilentia ictis Sacramenta miniſtrando, ac cetera caritatis opera erga eoſdem infirmos obeundo: nec defuit ei meritum ex contracto morbo, a quo tamen Deiparae ope fuit curatus; nam lethale vulnus, ex quo jam properabat ad mortem, cauterio exuſtum, nec dum curatum, delinitum ab eo oleo, quo adcen-

adcensa lampas ante Deiparae statuam conlucebat, mirabiliter evanuit, quamvis diu tamen dolorem persenserit ex ignito ferro, quo brachium ulcere infectum fuit exustum, diuque cruciatum fuerit passus ex saevo medicamine potius, quam ex pestifero morbo.

Quia autem a D. O. M. praecipue ad evertendos, convincendos, salvandosque heterodoxos, atque ad firmandos in catholica veritate fideles fuerat vocatus, atque delectus, tam arduam spartam sponte adgressus, animum adplicuit & vires; & quamvis varia fuisset doemonis arte oppetitus, ut a tam sancto ministerio pedem removeret, variaque tentatoris fraude fuisset iccirco perterrefactus; excitatus tamen & praecipue confortatus a V. P. F. Johanne Baptista de S. Petro (de quo supra) & a Deo in sancta vocatione firmatus, quod primum animo conceperat, opus ministerio suo obeundum deliberavit, ad illudque a Deo se promotum protinus vidit, dum a Regni nostri Capellano Majore (cujus spirituali jurisdictioni praesertim subjacent arces, & classes, omnesque milites Regni) se nihil sciente, nihilque praemeditante, fuit constitutus Capellanus ordinarius Germano-Theutonicae Legionis, & deinde etiam Confessarius totius Alemanicae nationis, quae tunc temporis pluribus commixta Lutheranis, ac Calvinianis in nostra Urbe commorabatur. Ut ergo hanc sibi demandatam provinciam expleret, incredibile pene est quam subierit in opere poenam, quotve in laudato exercitio pertulerit labores. Quotidie summo mane e Conventu S. Mariae Sanitatis ad stationem, vulgo *praesidium*, Germanicae cohortis in suburbio Olympicae Orae situm, & tertio lapide ab eodem Conventu distans, pedester ibat, indeque pariter ad suum Conventum remeabat, nec quidem semel dumtaxat, sed bis etiam multoties in die, ac pomeridiana hora ex eodem Conventu discedens, ut, post expletum opus, sero posset eo redire, nullo unquam vehiculo ductus, nullo subsidio fretus, quovis anni tempore incommoda cuncta invicta constantia devorabat: heinc vel caniculari aestu, vel brumali tempore, vel quavis Coeli inclementia adflictus, sudore madidus, imbre perfusus, ventis agitatus, sole adustus, labore fessus, hilari semper vultu, devoto adspectu, defixis in terram oculis incedens, nec ulla ex caussa, ulloque momento, parumper per viam insistens, aut cum aliquo sermonem habens, recto tramite, dexte-

O 2 ra

ra Rosarium gestans (quod ei in socium adsignaverat sui Conventus Prior, qui ob loci distantiam ac continuationem itineris laboriosi nullum eidem poterat comitem adsignare) laudes Deo in honorem Virginis Matris continuata oratione persolvens, mente & spiritu in Deum raptus, suum iter explebat. Sedulus autem in exercitio, & vigil in opere, catecheses semper habebat, ut ab erroribus ac vitiis milites abstraheret, in confessionibus excipiendis idefessus, in concionibus habendis perseverans, dies integros saepius protrahebat, nec quidem mane refectus, sed jejunus ad suum Conventum sub vesperam non semel revertebatur; nec quidem in tam improbo labore modicum sibi indulgens, Ordinis constitutiones adamussim servabat (serius esto ex obedientia, & necessitate urgente admiserit carnium usum, parcitate servata.) Summam animi suavitatem ex proximorum salute percipiebat, ad quam toto corde totoque conatu adspirabat, quamve ut felicius faciliusque consequeretur, ad Deiparam maxima devotione, ac fiducia confugiebat, ab eadem sperans & exoptans patrocinium in tam arduo ministerio: quare dum mane e Conventu ad opus exibat, prius ante Deiparae iconem prostratus eam salutabat, eidem commendabat sibi impositam spartam, protectionem efflagitabat, eidemque Deiparae in regressu suam reverentiam exhibebat coram eadem imagine devotas repetens preces.

Nec satis ei fuit in tam improbo ministerio externo labore consumi, ut ad exoptatum perveniret bravium; verum (ut ceteris Apostolis frequenter adcidit) graviora pati eidem operae pretium fuit. Haereticorum technis fraudibusque interceptus, doemonis furore agitatus, injuriis adfectus, blasphemiis ac contumeliis lacessitus, gravibusque non semel periculis obnoxius, extremo se commissum discrimini vidit. Verum forti animo dimicans, nec ulla ex adversitate desistens, lubentissime incommoda cuncta, poenas, opprobria, agonesque omnes invicta constantia pertulit, ut perditos viros ad veram fidem & bonam frugem pertraheret; reportavitque ex patientia triumphum, innumeris pene ad catholicam fidem ex Novatoribus, & ex aliis male viventibus Orthodoxis ad poenitentiam adductis. Et quidem ex iis, qui possunt enumerari, quos solo integro biennio ad haeresis abjurationem coram Julio Spinula tunc temporis Apostolico Nuncio in Regno, deinde amplissimo Cardinale perduxit, quadrigenos

est

est enumerare ex omni haeretica labe ad Romanam communionem vere conversos (alios postea ad fidem vocatos scire non licuit nobis) quare id referente S. Congregationi de propaganda fide eodem Apostolico Nuncio, & coram amplissimo Cardinalium coetu Alexandro VII. Romano Pontifici aperiente, ab eodem Romano Hierarcha, Apostolico dato diplomate, fuit insimul creatus S. Th. Magister, & filius Conventus S. Mariae Sanitatis de Neapoli; & quamvis nimium tristis excepisset gratiam laureae Magistralis, quam prae humilitate recusabat, nec unquam ad eam excipiendam subdidit collum, nisi, dum ex obedientiae praecepto adstrictus, ultra reclamare nequivit: favorem tamen suae incardinationis laudato Conventui Sanitatis ob devotionem erga Deiparam, quae illuc evocaverat eum, dum adhuc in Germania moraretur, laetanter nimium excepit, ferventer gratias Deo rependit, eidemque Conventui sub Virginis auspicio ferventius inservire contendit insudavitque.

Ne autem sicco penitus vestigio pertranseamus ceteras ejus virtutes, quibus coram Deo redimitus, & coram hominibus quoque gloriosus adparuit, post indigitatos improbos ab eo susceptos pro fide, & proximorum salute labores, reliquas eius insignes animi dotes vel digito monstrare oportet. Quam fuerit in fide fervidus, pro qua vitam cum sanguine fundere optabat, ex hucusque dictis plene clarescit. Supernaturali quoque spe, eaque insigni, fuit ornatus, qui omnem fiduciam in D. O. M. per merita Servatoris Jesu ex animo reposuit, quem etiam toto cordis adfectu super omnia dilexit. Fuit etiam in humilitate magnus, nonnisi Dei gloriam, ac sui contemtum anhelans. In devotione eximius, quapropter vel in orationem ac meditationem effusus integras pluresque consummabat horas, vel in Altari Sacra facturus in Deum ac divina raptus moras protrahebat; quamvis ad taedium circumstantium evitandum eas rumpere contenderet, sed tamen non semel vi divini amoris praepeditus, atque abstractus eo pervenire nequierit. Solitudinis amantissimus, quod ei supererat ab exercitio sui muneris, tempus, in secreta animi sui quiete, & seorsim ab omni hominum conversatione utiliter impendebat, praesertim in depingendis, ac penicillo coloribusque efformandis tabulis Sanctorum imaginibus distinctis, ex quibus tabulis una impraesentiarum in atrio Bibliothecae S. Mariae Sanitatis adpen-

sa

sa servatur, in eaque depicta est effigies Deiparae Virginis pupulum Jesum in ulnis stringentis circumdata rosis,in quibusmysteria SS.Rosarii sunt expressa,eaque Sanctorum Ordinis nostri corona circum ornata. Patientia invicta objurgationes omnes, etiam Superioris,aliquando Deo sic disponente ad sui spiritus purificationem atque ad humilitatis exercitium, laetanter excepit, contumelias, & irrisiones placato animo sustinuit. Regularis observantiae exactissimus custos. Puritatis amantissimus virginitatis lilium ad obitum inlibatum custodivit. A Deo itidem miraculorum gratia, aliorumque donorum favore insignitus Apostolatus gloriam decoravit, & sanctam vitam pretiosa morte coronavit.

Sub initium igitur mensis Junii Anni Epochae Christianae MDCLXVII. languescere ex laboribus incipiens, imminere sibi mortem persensit, ac percrescente languore decumbere coactus, nec quidem tunc a poenis fuit immunis, ut perfecte Crucifixo conformaretur, cujus gloriam dilatare ac promovere semper habuerat in votis, artusque omnes ac nervos semper intendit. Febrium ardore combustus, viscerum, capitisque dolore gravatus, interna animi adflictione,ac spiritus ariditate,& desolatione, omni poena, ac morte ipsa atrociore, excruciatus, velut aurum in fornace fuit probatus; at in poenis ipsis tam saevis ad Deum confugere non destitit. Satanam impugnatorem mira constantia repressit, & illud celebre Augustini effatum repetens: *Domine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas*, ad ultimum agonem sibi nobilem paravit viam; fovensque cordis ardorem erga Deum summe dilectum, ac fiduciam firmam habens in introitu Sanctorum in sanguine Christi. Sacramentis Ecclesiae igitur summa devotione susceptis, ac Indulgentiis purificatus,Crucifixum inter brachia stringens, ejus vulnera devote exosculans, & ante se e regione positam imaginem Virginis Lauretanae devote conspiciens & venerans, mente in Deum erecta, jugi oratione ad ultimum usque halitum protracta, inter Psalmos, & Cantica Fratrum innocuam animam reddidit Creatori die VII. Julii ejusdem Anni, vix XLII. natus annos,laboribus ac poenis consumtus.

In Ecclesiam ejus cadaver delatum populi concursu fuit decoratum, ac veneratione fidelium nimium fuit glorificatum.

Ca-

Catervatim namque fideles ad oscula manuum ejus proruentes, atque ad particulas vestium decerpendas adcurrentes, ejus sanctitati adclamarunt. Ad ejus pariter funus integra Germanica Legio confluxit, quae in preces effusa, ac Sacramento Eucharistiae refecta, pro ejus anima suffragia exhibuit, nec unquam ab oratione cessavit, donec terrae ejus corpus fuerit redditum, cujus anima, ut pie creditum est, jam triumphabat in Coelis.

Hujusce Servi Dei vitam adcurate descriptam in suo Diario edidit Inlustrissimus Episcopus Puteolanus (a); ejus quoque memoria inlustri elogio fit in utroque Necrologio, S. Mariae Sanitatis, nimirum, & S. Spiritus. MS. reliquit opus Polemicum adversus Novatores, cujus titulus erat: *Funda Davidis*, quo praesertim Lutheranorum commenta evertere curavit: verum liber hic paucis ab hinc annis periit incuria Nostrorum: autographum quippe extra Regnum ab uno e nostris omnibus noto delatum, eodem improvisa morte sublato, omnino evolavit, & quamvis ego omnem adhibuerim operam, ut illud recuperarem certe typis committendum, ut deliberaveram, operam & oleum perdidi: faxit D. O. M. ut aliquando repertum, vel in celebri aliqua Bibliotheca Ordinis servetur, vel edatur in vulgus.

XXVI.

F. Thomas Mansi Neapoli honesta familia, ex patre praesertim piissimo ac devotioni SS. Rosarii addictissimo, natus Anno MDCIII. pieque educatus, ac humanis litteris eruditus, vix XII. aetatis suae anno expleto mundum potius ignorans, quam relinquens, ad sanctimoniam adipiscendam animum adplicuit, & convolans ad Conventum S. Mariae Sanitatis, inter educandos habitu Religionis indutus fuit die IV. Octobris MDCXV. & triennio post ad probationis annum admissus, eo expleto solemnem emisit professionem die IV. Junii An. MDCXIX. eidemque pariter Conventui fuit incorporatus. Scholasticis studiis, in quibus non modicum profecit, absolutis, Lector institutus, per aliquot annos summa cum laude Philosophiam ac Theologiam docuit, donec vale dicto Scholasticis omnibus exercitationibus, ut Apostolicum munus obiret, Sacris Missionibus, aliisque id genus exercitiis se totum dedidit vir juxta doctus ac piissimus, qui semper Dei amorem in corde foverat, ac in virtute profecerat, nul-
lo

(a) *Dominic. Marchese* Tom. IV. Diar. Dominic.

lo ex momento a vera devotione alienus: quapropter esto laurea Magisterii fuerit insignitus, titulo tamen Apostolicae Missionis cum gloria peractae fuit eadem laurea decoratus ex peculiari gratia Romani Pontificis, sed praecipue speciali coelesti favore. Quum enim simul cum F. Raymundo Kunrat (de quo nuper est actum) convertendis Lutheranae ac Calvinianae sectae gregariis a Julio Spinula Nuncio Apostolico, ac Supremae Inquisitionis ministro fuisset adplicitus, suamque spartam haud segniter absolvisset, nongentis ex eisdem ad catholicam fidem, & haereseon abjurationem adductis, mandato, ac dispensatione R.P. Alexandri VII. fuit laureatus S. Thologiae Magister a tunc M. O. F. Johanne Baptista de Marinis; & quod hac in re mirabile est, nec silentio praetereundum, id procul dubio existimo, quod ex certa scientia sibi notum mihi retulit V. P. D. Antonius de Torres meus Director, & Confessarius, dum in saeculo manerem, ac nostro F. Thomae summa necessitudine ex caritate Dei conjunctus, nimirum, quod Dei Servus F. Thomas praefatas patentes litteras sui Magisterii e manu incogniti Fratris Minoris in publica platea Neapolitanae Urbis prope palatium Magdalunensium Ducis exceperit; cumque Fratrem Minorem illum non cognosceret, eidem grates de deportatis litteris rependens, eundem de proprio nomine ac patria interrogasset, ille, dum se F. Antonium adpellari respondit, post breve conloquium, festivo vultu, manum versus coelum extendens, ut suae habitationis locum ostenderet, evanuit ab oculis ejus; quare cognovit praesertim ex intercessione S. Antonii Patavini sui peculiaris Patroni (ut infra clarius patebit) fuisse eodem favore donatum ad decorem Apostolici muneris, quod cum diu exercuisset, dimisit tandem senectute fractus, ac laboribus adtritus, non valens amplius e Conventu S. Mariae Sanitatis ad Olympicam usque Oram, ubi praefata Germanica Cohors suam habebat stationem, conmeare, & curam omnem commisit laudato F. Raymundo Kunrat, qui, ut vidimus, laudabiliter nimis impositum sibi onus exsolvit.

Ne autem nimis strictim indicata praeteream, quae pro Deo, ac pro salute populorum exercuit opera, quosve sustinuit labores in sacris Missionibus ad fideles, qui etiam ad heterodoxos suam missionem in Neapolitana Urbe habuit, post indigitatam hanc provinciam cum laude obitam, de Missionibus in Regno

ad

ad fideles habitis, etsi breviter, nunc habendus est sermo. Ab ipsa fere sua juventute huic Apostolico muneri ex professo addictus, & in eodem exercitio socius datus V. P. M. F. Calixto de Missanello Missionum Praefecto, diu noctuque in praedicatione verbi Dei, in promulgatione Sanctissimi Rosarii, in excipiendis fidelium confessionibus, aliisque piis exercitationibus obeundis sedulus, assiduus, & vigil innumeros e peccatorum coeno ad poenitentiam revocavit, plurimosque ad sanctioris vitae semitam perduxit: nec levem certe subiit laborem in opere, qui etiam in plurima incidit pericula vitae (esto ex omnibus eum eripuerit Dominus) tam arduum Ministerium exercens, quod nedum per Urbem, etiam damnatis ad triremes verbum vitae praedicans, ac sacramenta ministrans, aut per suburbia Civitatis, per pagos etiam, & castella Dioeceseos Neapolitanae, aut per proximas alias Urbes, tota, qua late patet, felici Campania sitas, sed per plurima loca, pluresque Provincias Regni nostri, ad quas etiam adcessus perdifficilis erat, nec sine periculo tunc erat eas versus adripere iter, infestantibus Regnum nostrum latronibus & bannitis, qui ad magnum, & pene incredibilem numerum excreti rapiebant, furabantur, invadebant peregrinos omnes, & itinerantes, aliosque etiam domi manentes adgrediebantur, plurimosque expoliabant ac occidebant: hoc, inquam, tempore per Regnum nostrum Missiones habere non destitit Apostolicus praeco, etiam cum discrimine vitae, quod non semel sibi imminere conspexit. Dum enim Marsicum Novum ad ibi Sanctas Missiones habendas iter faceret, a deperdito latrone jam petitus ad necem, non sine speciali Deiparae, ad quam confugit, ope fuit ereptus ex inopinato celeri adventu praepotentis cujusdam, qui proditorem, ac furem impugnatis armis deturbavit, & in fugam convertit. Beneventi huic sancto exercitio ad populorum salutem operam navans a nobili ganeone in eum exardescente ob ereptam sibi, & ad poenitentiam ejus praedicatione vocatam puellam, jam jam deflorandam, dum incunctanter ab eo stipendiato sicario erat mactandus; divinitus inlaesus evasit. Eodem quippe sicario ictu sclopi tunc quidem e vivis sublato, dum properaret ad necem nostri F. Thomae, fuit ab imminente morte erutus, & mandantem equitem prodigio territum ad suos pedes provolutum, ac crimen fatentem, & ad veram poenitentiam ab eodem evocatum

benigne complexus excepit. Ex oppido Pollae discedens dum Salernum versus teneret iter, ac sub diluculum nondum perfecte albescente Coelo, eo tenderet, ubi certum ex dirupto impervio monte protendente in vallem, saxis praecisis e planitie nimium sejunctam, ei praecipitium imminebat, incognitus juvenis protinus adcurrit (quem sub auroram cognoscere nequivit) qui apprehensis habenis muli, cui insidebat, e periculo (quod clarescente die bene novit)eripuit,in semitam rectam perduxit,& viam, quam tenere deberet,ostendit.Verum eidem nostroFratriThomae, dum hic illi rependeret grates, sciscitanti quis ipse foret,qui eo statim adcurrerat in solitudine ac in impervio loco,ubi nullus tunc aut figere moras, aut illac transire poterat? *Paulus*, inquit, *vocor*, *& nimium me delectat Apostolicum munus,quod obis*: quare luculenter dignovit Apostolum Paulum pluribus agitatum periculis in proprio munere, dum esset in terris, adcurrisse sibi in praefato discrimine, quod & certo certius dignovit, quia protinus post auxilium ei praestitum evanuit ab oculis suis. Dum autem Brientiam versus,missiones pariter acturus mansuetissimae equae insidens, properaret, deperdita a duce semita, ad cacumen montis devenit, & inclinata jam die, eo adcessit, ubi impervia semita insupercilio montis ad praecipitium eum urgebat,jamque nesciens properabat ad illud: eoque majori se in discrimine constitutum vidit, dum repente bestia, cui insidebat: recalcitrans ac strepens eum projecit in altum, excussit e sella, & pede ad stapem adstricto eo usque raptavit,unde jam in declivio praecipitis montis ruere debebat;verum inopinate ac insperato advenit Frater quidam Minorita, qui compescens equam, & sistere jubens, ereptum eum ex periculo, & soluto e ligamine pede, paululum requiescere fecit, deinde, ut iterum insideret equae, injunxit, & omni deposito timore,ut prosequeretur iter,ostensa sibi via,hortatus, eidem imposuit, ut ad Conventum Fratrum Minorum de Observantia sub titulo SS. Annunciationis declinaret, ubi benigne erat excipiendus (ut accidit) suavibus verbis eum adlocutus, nimium relevavit eum, qui ex timore, atque ex contusione corporis dilacerati ac direpti fere languebat ad mortem. Dum autem resumtis viribus gratias ageret servatori suo, & quis ipse foret, qui sibi tam benigne adcurrerat, enixe rogaret, confestim Frater ille Minorita hilari vultu respondit: *Scio, quod erga S. Antonium corde*

fo*ves*

foves devotionem: cumque iterum ipse percontaretur, ut sibi aperiret cujas ipse foret, & quo nomine adpellaretur? subdidit ille: *Antonius vocor, patria sum Olisiponensis, idemque Apostolicum ego munus obivi*, & ubi per viam direxit, evanuit ab oculis ejus: quare certissime novit S. Antonium Patavinum tutelarem suum eum fuisse, qui sibi tam benigne adcurrerat, & a certo periculo eripuerat eum. In hisce igitur, aliisque periculis constitutus, spe in D. O. M. fretus, ac Rosarii Beatissimae Virginis ope protectus, Sanctorum tutela vallatus intrepide Apostolicas Missiones prosecutus, nullo unquam labore victus, nulla angustia depressus, tribulatione nulla distractus, etiam aliquando copioso sanguinis sputo jam fere tabescens, ac exanimis factus in praedicatione verbi Dei, quod inceperat, opus perfecit (quando Rosario, quod manu gestabat, se signans, statim convaluit) uberi messe in horrea Domini deportata. Latrones quippe, meretrices, usurarios, homicidas, omnigenosque peccatores ad poenitentiam revocavit, abusus & scandala eliminavit, abegit; ibique praesertim, ubi vel ex levi suspicione fas sibi fore existimantes parentes & cognati e vivis eripere puellas, etsi innoxias, modo decoris momentum eos ad truculentam impelleret caedem, scelus hoc in consuetudinem versum penitus eliminavit, dum ereptam jam inde ex eorum manibus virginem innocentem jam destinatam in nemore ad mortem, vel ex eo dumtaxat, quia nec resalutantem, nec conniventem, eam salutaverat adolescens quidam ante illius ostium transiens: tunc, inquam, post tam nobile facinus viriliter adversus hunc tetertimum abusum declamans, patefacto scelere, errore detecto, abusum penitus eliminavit. Ut autem fideles in viam Domini sua praedicatione directi Deo facilius inservirent, Congregationes instituit, Sodalitates erexit, variaque pietatis exercitia statuit, nec sine illorum profectu. Nec quidem senectute gravatus, aut infirmitate detentus ab hisce spiritualibus exercitationibus abstinuit, per vias potius se raptans, quam incedens, ut adsisteret moribundis in agone constitutis, ut consolaretur decumbentes, ac exciperet confessiones infirmorum, aliaque id genus opera exerceret; adsumtoque sibi in socium peregrinationis Apostolicae, ac sanctae praedicationis Dei servo F. Vincentio Cangiano (de quo supra est actum) haud facile dictu est quot reportaverit de Satana triumphos, exterminato regno peccati. Sa-

P 2 tis

tis autem ſuperque erit ad ejus Apoſtolici muneris gloriam, ac hujuſce nuperi Apoſtoli decorem adjicere encomion, quo eum exornavit Eminentiſſimus Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus, qui admirans uberem in Regno noſtro praedicationis fructum poſt exitialem Regni morbum Anno ſalutis MDCLVI. deportatum, & praeſertim in Urbe ac Dioeceſi a duobus verbi Dei praeconibus N. Fratre Andrea de Sancto Severino Provinciae Regni, & N. F. Thoma Manſi, eoſdem adpellavit *duo fulmina belli*:

Praefectus quoque a Neapolitanis Archiepiſcopis Eminentiſſimis Cardinalibus Philamarino, & Caracciolo dirigendis Sanctimonialibus in praecipuis noſtrae Urbis Parthenonibus, praeſertim in eo, cui titulus eſt *Divini amoris*, ubi filiam ſuam ſpiritualem, Deique Servam Mariam Villano ad Sanctitatis faſtigium direxit: non minores certe ſuſtinuit poenas, nec leviores tulit labores in excurrenda Urbe adhuc devexa aetate, in excipiendis illarum confeſſionibus, in praeſtandis eiſdem monitis ac conſiliis ad vitam aeternam, in ſcribendis ad eaſdem aſceticis, ac conſolatoriis epiſtolis, omnique alio incommodo ad laudatum momentum tolerato; quibus propterea nimium profuit exemplo virtutis ſuae, miniſterio caritatis, prudentia rara, diſcretione maxima, ſed praeſertim dono prophetiae, ac cognitione occultorum a Deo mirabiliter inſignitus, necnon ſpeciali in doemones poteſtate a Deo donatus, quibus caracteribus diſtinctus facile potuit Deo ſacratas virgines ad nobiliora chariſmata promovere.

Ut vero proprias peculiareſque animi ſui dotes, ac virtutes, vel digito monſtremus, quamvis ex munere Apoſtolatus ita nobiliter exerciti facile poſſent, aut praeſupponi, aut per ratiocinium inferri, aliqua itidem ad clariorem notitiam addere oportet. Fide Divina, & heroica fretus pro eadem ſanguinem cum vita fundere paratus omnem tulit laborem in ea vindicanda, ac dilatanda. Quapropter S. Inquiſitionis Conſultor delectus & conſtitutus a Cardinale Creſcentio, tunc in Regno noſtro ſupremo Inquiſitionis Miniſtro, nimium inſudavit, ut Catholicae Religionis puritas ſarta tecta cuſtodiretur, demandataque ſibi difficiliora negotia ſumma dexteritate peregit, & quantum laboraverit in converſione Novatorum, qui cum Germanica Colonia poſt Annum

MDCLVII.

MDCLVII. Neapolim venerunt, jam supra fuit indigitatum. Spe maxima in Deum summum ac supernaturalem provisorem per merita Christi Servatoris effulsit. Caritate in Deum summe dilectum exarsit, cujus gloriam semper in omni suo opere quaesierat, & pro quo suscepir incommoda, poenas ac labores sustinuit, ut Christo lucrifaceret, quos perdiderat culpa. Religione divina insignis, & sacra mysteria coluit peregitque, devotione maxima in Deum & Sanctos servata, praesertim erga Deiparam singularem sui Patronam sub invocatione Rosarii, cujus cultum ut promoveret, omnes intendit nervos, erga S. Antonium Patavinum, quem semper sibi propitium adfuisse fuit expertus, S. Michaëlem Archangelum, cujus praesentissimum auxilium, nec sine miraculo praestitum, acu tetigit, dum Romae degens, & aliquibus Scripturis e Beneventana urbe deferendis egens ad sui vindiciam producendis, causa suo Tutelari commendata, confestim eas excepit, S. Paulum Apostolum, S. Patriarcham Dominicum, aliosque Coelites, quos omnes summa devotione colebat. In humilitate se quoque inlustrem exhibuit, dum nunquam opprobriis, injuriis, ac adversitatibus exasperatus, nunquam laudibus elatus, animi sui demissionem servavit: & quamvis pluribus foret a Deo gratiis donatus, mortem nimium pertimescebat, ex eo dumtaxat, quia peccator non audebat ante tantum Judicem comparere; omnesque propterea, ut pro se orarent, summo spiritus ardore, ac maxima demissione exorabat. Paupertatem custodivit. Regularem observantiam tenuit, semper ab esu carnium alienus, donec colica passione gravatus, & ad finem vitae perductus Medicorum consilio & praecepto ab oleo, velut a veneno, abstinere, & carnibus vesci fuerit coactus, quod non sine sui dolore exsequebatur, nulla lautitie admissa, nec unquam de cibis, etiam ad nauseam provocantibus, conquestus. Ac vota sua ita sancte reddidit Deo, ut propterea meruerit a Domino de sua praedestinatione speciali privilegio certior fieri, qui proinde summopere exsultans, nec valens prae jubilo in corde servare laetitiam, secreto tamen, imminentem sibi gloriam aperuit devoto Fratri, qui eundem de extraordinaria ea laetitia in vultu adparenre eum fuit percontatus, & ut ei indicaret, enixe rogavit. Maximam porro ejus patientiam ne dum in gravi ac prolixa infirmitate summa animi pace toleratam est admirari, sed praesertim, dum vel in eo morbo rudi-

ruditatem ac asperitatem Fratris Conversi natione Burgundi ac natura severi semper caritate excepti, sine ulla querela sustinuit, & dum adhuc febribus exustus ab eodem nec potum aquae frigidae aestivo tempore potuit obtinere, sed oblatam ab eo excepit, quam summo mane hauserat e puteo, aquam, jam calore, cum temporis, tum camerae fere ferventem: cumque Sacerdos Frater, qui ad eum invisendum adcesserat, & rem propriis oculis conspexerat (quam fortasse illi delatam non credidisset) objurgato crudeli socio, frigidam e puteo exstractam detulisset ad eum, esto gratiis relatis, aegre tamen id tulit decumbens Thomas, qui inter aestivi caloris, & febrium flammas pro Domino pati gaudebat, eo etiam levamine privatus, quod natura ipsa peravide exoptabat. Erga defunctorum animas piacularibus flammis detentas caritatem maximam corde fovens, suffragia pro eisdem impendere non destitit, earum solutione a poenis aliquando sibi a Domino revelata. Miraculorum quoque gratia eluxit, dum ignem extinxit, incendium compescuit, quum suo socio in Missionibus F. Vincentio Cangiano per obedientiam injunxit, ut eo adcedens, ubi flamma concrescebat, lustralis aquae guttis adspergeret ignem.

Plurimis ergo adtritus laboribus, grandaeva pressus aetate, sed praecipue virtutibus clarus, ac propterea Coelo maturus, ad finem suae peregrinationis tandem pervenit, & qui diu pro Deo, ejusque gloria laboraverat, in fine gravi fuit visitatus morbo, eoque jugi, ut plene purgatus exiret e mundo. Integro namque triennio ulceribus cruciatus per patientiam se praeparavit ad mortem: ingravescente tamen morbo, & lethali cancrena in crure adflictus, ferri ac ignis tormenta in remedium, sed frustra adhibita, nec gemitu emisso, nec querela ulla expressa, sustinuit, illud dumtaxat Augustini repetens in doloribus, quos patiebatur: *Domine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas*, ad ultimum devenit agonem, in quo Sacramentis Ecclesiae de more, sed sancte, susceptis, Indulgentiis, aliisque piis operibus actibusque devotis communitus obdormivit in Domino die VI. Augusti MDCLXXX. annos natus LXXVII.

Ad ejus funus tanta confluxit fidelium, praecipue vero filiorum spiritualium, copia, ejus vestium particulas decerpens, ut praegrandis illa Basilica Sanitatis, una ex insignioribus Urbis nostrae Ecclesiis, turbam populorum catervatim ruentium non caperet;

peret; quare ad reprimendum impetum inruentium plures oportuit adponere custodes ad cadaveris tutelam. Adfuerunt quoque inlustriores ex utroqne Clero Sacerdotes, praesertim alumni V. P. D. Antonii de Torres, qui ipse etiam venerationis ergo adcessit, ex notitia sublimis virtutis defuncti viri. (ab eo namque V. P. de Torres majora ego excepi N. F. Thomae facinora laude digna, quae utique non sunt typis commissa, sed facile mihi non fuit eadem descripta olim,& apud eundem servata lustrare) Optimates quoque adfuerunt: cumque ejus cadaver communi inlatum coemeterio absque ulla distinctione ceteris commixtum defunctis fuisset tumulatum, Cardinalis Innicus Caracciolo Archiepiscopus Neapolitanus, virtutis Servi Dei bene conscius, inde eum extrahi jussit,& seorsim loco depositi alibi eum tumulandum praecepit: quare in Capella SS. Rosarii, cujus eximius fuerat praeco,fuit sepultus,lapide marmoreo cum inscriptione super ejus tumulo adposito. Ejus vitam conscripsit Inlustrissimus N. F. Dominicus Marchese Episcopus Puteolanus, sed morte praeventus eam typographicis formis haud commisit: illam tamen apud neptem nostri F. Thomae Sanctimonialem Monasterii S. Annae de Nuceria Paganorum servatam Beneventanis typis Anno MDCCXLII. edendam ego curavi, nec apice quidem immutato, adposita dumtaxat imagine ejusdem Servi Dei, & prototypo ad vivum adsimilata,& aenea tabula incisa Neapoli ab Antonio Baldi,pecunia tamen ab eadem Religiosa ejus nepte suppeditata. Ejus quoque cum laude meminit Nicolaus Coletus Presbyter Venetus, dum eum *gloriosae famae Magistrum* adpellavit (a).

XXVII.

F. Raymundus de Paula, Neapolitanus, honesta familia natus, litteris imbutus, ac foro adplicitus, cum ex conversatione amicorum, ac saeculi vanitatibus distractus a Christiana virtute declinasset, mirabiliter a Deo vocatus,ac repente mutatus in virum alterum, altissimae poenitentiae initium fecit adhuc in saeculo manens, dum instar S.Johannis de Deo se palam peccatorem accusans, & pulvere conspersus in terram se prosternens,lacrymisque profusus a Deo veniam petere coepit, unde adstantes ad lacrymas ac admirationem excitavit, atque novam ingressus Christianae virtutis viam verae sanctimoniae semetipsum ad-

(a) *Coletus* Additione ad Italiam Sacram Ferdinandi Ughellii Tom.VII.fol.759.

adplicuit, ac perfectionis adripuit iter.Confestim omnibus, quae possidebat,donatis Conventui, S.Mariae Sanitatis Barrae, & pauper pro Christo factus, ibi primum lacera obsoletaque Tertiariorum tunica indutus vilia Conventus munia obire,ac Fratribus inservire coepit; nec quidem Conversorum statu se dignum existimans,in forma oblati,ad majorem sui animi demissionem,ibidem semetipsum verae ac rigidae poenitentiae addixit, & tandiu sub hoc demissionis habitu in omni virtute exercitatus vixit, donec a Superioribus nostrae Congregationis,cognita Servi Dei virtute, fuerit Neapolim evocatus, & Conversorum habitu indutus primum, deinde vero ad probationis annum admissus die VII. Januarii MDCLXV. & eidem Conventui Sanitatis incardinatus, emenso tyrocinii anno ad professionem adceptatus.Deo autem per solemnia vota sacratus ad majora portendere studuit, & qui sub initium suae conversionis arduam virtutis semitam tenere ac terere habuit in votis,& de virtute in virtutem proficiens,adscensiones in corde suo disposuit,Deo per professionem arctius obstrictus nobiliora charismata aemulari sategit, ad perfectionem evolavit, plurimis onustus virtutibus, quas per epigrahen potius percensere fas est,quam exacte adnotare. Et imprimis qualis fuerit ejus poenitentia (qui omnes sui animi dotes pro viribus occultare sategit) esto perdifficile sit effari, vel ex eo saltem rimari fas est ,quod innotuit cunctis. Hyemali adhuc tempore,vel in ipso frigori ac humiditati obnoxio loco, qualis est noster Conventus princeps S.Mariae Sanitatis in Valle situs, fere seminudus, ad paupertatem ac mortificationem servandam, diu noctuque incedebat: qualibet nocte ad Matutinas laudes adsurgens, & post solemnes in Choro preces, seorsim, ceteris recedentibus, in Choro pernoctans, & orationem suam ultra protrahens, se flagris usque ad sanguinis effusionem caedebat, nec ab iis cessabat dum adhuc nephryticis doloribus cruciatuspene languebat, quando, veluti ad levamen sui corporis nimium saeve se cruciabat, qui Christi poenas in suo corpore experiri cupiebat; coelestibus tamen a Deo recreatus favoribus, ac spiritus suavitate redundans. Tam demisse pariter de semetipso sentiebat, ut contemni & pati pro Christo semper habuerit in votis: quare in socium datus P. M. F. Francisco Piscopo (ut post pauca dicetur) etsi a Romano Pontifice hoc fuerit speciali favore donatus,ut, ubicumque vellet, per

Ec-

Ecclesiae gradus ad Presbyteratus Ordinem promoveretur, nunquam tamen adduci potuit,ut ad eum gradum adscenderet, qui in humili Conversorum statu, quem propterea ad sui contemtum elegerat,ad mortem usque voluit perseverare; quinimmo ut humilitatem, quam corde fovebat, opere firmaret, opprobriis expetitus gaudebat, laudibus honoratus moerebat, sanctitatem omnem ita celabat, ut non semel facetiis, modestiae sale conditis, sermonem dulcoraret, omnemque sui existimationem ab aliorum animis removeret. Regularis observantiae tenacissimus custos jejunia ceterasque Ordinis sanctiones adamussim servavit. Tanto insuper erga Deum amore raptus Divina caritate aestuabat,ut nonnisi de Deo,aut cum Deo loqui solemne ei foret, atque jucundum: jugi orationi addictus ac seriae meditationi deditus in coelestium contemplatione languebat, ubique Dei praesentia munitus roboratus accensus in Deum summe dilectum corde rapiebatur, illum succenso corde prosequebatur ubique. Hasce autem cordis sui flammas tunc certe vehementiores in eo licuit admirari, quum in sacrificio Missae ad elevationem sacrae hostiae totus rapiebatur in Deum, nec semel quidem in ecstasim raptus corpore etiam elevatus post dilectum suum currebat in odorem unguentorum suorum. Et quamvis ex obedientia organa pulsaret, ceu qui musicam perfecte callebat, dum ad consecrationem corporis & sanguinis Christi perveniebat Sacerdos, nullimode abstractus ab occupatione, qua detinebatur, sed corde totus in fontem amoris intentus,spiritu & corpore currebat ad illum,veluti cervus ad fontem aquarum;& tunc certe dulcius resonabant organa non sine intuentium stupore.Dum vero ad sacram mensam adcedebat reficiendus corpore Christi tanto aestuabat ardore, ut membris omnibus contremisceret:sed divino epulo nutritus ab altari recedens,mire in Deum raptus,prae jubilo saltabat, prae reverentia contremiscebat, ac veluti non per terram incedens, sed sursum elevatus, leviter evolare videbatur, oculos veluti extra dijaculans ex fervore caritatis, ac ex suavitate animi, quibus cor succensum colliquescebat; atque in gratiarum actione effusus non in terris degere, sed in coelis habitare videbatur, qui ab omni terrena re alienatus totus erat cum Christo. Eodem pariter caritatis fervore succensus mori ac pati pro Christo optabat; utque ejus fidem dilatare, ac glorificare posset, summo animi ar-

dore cupiebat ad exteras nationes mitti, ubi vitam cum sanguine pro fidei gloria fundere posset: qua de caussa dum audivit Cl. N.F. Franciscum Piscopo delectum a Romano Pontifice Apostolicum Visitatorem Persidis, & Oratorem ad Regem Persarum, eum comitari, eique in itinere inservire demisse efflagitavit, ut forte fortuna oprata ei obtingeret sors ibidem moriendi pro Christo, aut saltem pro fidei gloria incommoda & poenas ei pati liceret; gravi proinde moerore reversus, & taedio magno redundans, dum ad suum Conventum rediit, quia suspiratam in Perside haud oppetiit necem, & eas, quas optaverat, poenas non fuerat consecutus. Qui autem sincero corde, & ardenti amore Dominum super omnia diligebat, proximum quoque admirabili dilectione prosequebatur. Infirmis adcurrens solabatur eos verbo, opere inserviebat eisdem, cunctaque ad eorum levamen munia obibat. Fratribus, & in communibus officiis, & seorsim quoque semper vultu hilari, nunquam tristis, servitutis ac caritatis officia praestabat. Custos portae Conventus S. Mariae Sanitatis institutus arduum nimis est expendere quanta urbanitate exceperit cunctos eo adventantes, quanta benevolentia, comitate, ac caritate stipem erogaverit pauperibus, praesertim dum in communi edulium eisdem dispersit. Prius namque verbo vitae eos elevans ad religionis actus, ad concordiam & pacem itidem eos compescebat, deinde omnibus subveniebat ex deportato cibo, eoque summa industria procurato, hilaris tunc solum, cum omnibus sufficienter ministraverat, tristis vero, si fortasse ad sufficientiam cunctis providere nequibat: qua de caussa aliquando ad Deum summum provisorem magna fiducia recurrens multiplicavit annonam, quae propterea plures ad saturitatem refecit, dum paucis ad parsimoniam satis non erat. Ne vero iisdem pauperibus deesset spirituale levamen sive in communi refectione, sive dum seorsim ad eum adcedebant, cunctos ad Christianam pietatem excitabat, consolabatur in angustiis, elevabat in adflictionibus, consilia quoque ad vitae subsidium praestabat, supplices libellos Ministris justitiae, aliisque Optimatibus praesentandos, vel ad propria jura vindicanda, vel ad misericordiam implorandam, propria manu scribebat, nec quidem incomposite, aut ignoranter, sed sapienter nimis ex munere prius obito in Curia, dum in saeculo maneret, & non semel feliciter, & in beneficium pauperum, quibus res pro voto cessit;

sed

sed praesertim ex oratione Servi Dei, qui pro eisdem preces ad Dominum effundere non desistebat.

Omnium igitur virturum exemplar effectus, & a Deo probatus jugi gravique infirmitate ex nephryticis doloribus, patientissime tamen ab eo toleratis, nullo unquam sibi quaesito levamine, ad finem dierum suorum devenit: & potius vi amoris, quam morborum, aut senectutis depressus terminum laborum adspexit, qui tamen plura pro Domino pati optabat: quare Sacramentis Ecclesiae summa devotione munitus, ceterisque piis actibus, aut religiosis operibus, eo in agone Dei servis consuetis, placida morte quievit die xv. Octobris MDCLXXXI. Ejus Cadaver in Ecclesiam delatum populorum concursu ejus manus profusis lacrymis deosculantium, & decerpentium ejus vestes in frusta ad venerationem & reliquias (quare pluries eum vestiri oportuit) fuit decoratum; cumque per plures dies idem servatum, incorruptum mansisset, flexibile itidem ac molle, veluti viventis corpus foret, communi omnium judicio non communi Coemeterio inferendum fore fuit decretum, sed peculiari sarcophago recondendum: quare ad laevam ingredientium in Capella SS. Rosarii e regione P.M.F. Thomae Mansi fuit reconditum, adposito lapide marmoreo ad monimentum; multique ejus intercessione gratias a Deo se impetrasse retulerunt. Ejus cum laude meminit Cl.N. Episcopus Sinvessanus F.Raphaël Philamundo (a), ejusque mors, utpote pretiosa in conspectu Domini, adnotatur in utroque Necrologio, suntque adhuc in vivis quamplures, qui testes oculati virturum ejus, sanctitatem commendant, pluraque ego ab ejus Confessario, dum hic viveret, excepi, quorum plura e memoria exciderunt; heinc nonnisi certa, ac omnibus nota, ne omnia perirent, breviter descripsi.

XXVIII.

Fr. Johannes Baptista Miranda nobili genere ex Patre Cl. Hispano milite, eoque uno ex primipilis ducibus Neapolitanae triremium classis, Parthenope natus, ad habitum Religionis fuit admissus in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis die xvii. Januarii MDCLXVI. & adgregatus Conventui S. Spiritus ad Palatium (esto deinde ex speciali gratia & Brevi Romani Pontificis primori Conventui Sanitatis fuerit adlectus) sub magisterio F. Augustini de Cal-

(a) *Raphaël Philamundo*: Viaggio di Tartaria *in fine*.

deriis, viriqua probitate morum, qua Regularis observantiae custodia insignis, tyrocinium exegit, ac deinceps reliquo Novitiatus curriculo emenso, ac Sacerdotio initiatus sensim sine sensu a primaevo rigore deflexit, saepius propterea a Superioribus correctus, praesertim quia nitori vestium, ac lautitiei Monasticen dedecenti addictus, eam non colebat observantiam, quam reliqui exacte custodiebant. Lectoris munus potius favore Principum, quam pro merito, per aliquot annos exercuit, & momento avitae sui generis nobilitatis ac inlustris suae parentelae ad gradum Baccalaurei, *de loco* dicti, promotus eo usque defluxit, ut pene ab omni observantia, pluribus vallatus dispensationibus, pluribus gratiis, ac immunitatibus exemtus, declinavit: quare vix in nocte Nativitatis Domini, & aegre nimium, ad matutinas laudes surgere visus fuit, qui in perpolita ornataque cella super molli culcitra dormire usque ad Solis ortum assidue consuevit. Qui autem ita procul ibat ab omni Monastica observantia, esto nunquam gravi aliquo crimine notatus, singularitatis tamen censura signatus, haud evasit Superiorum correctiones, quamvis nullatenus emendatus, semperque eodem vanitatis fastu detentus, ad praefecturam Neapolitani Monasterii SS. Petri & Sebastiani alieno favore fuit promotus, sed non sine displicentia graviorum in Ordine Patrum, qui ejus conversationem detestabantur. Verum (o Dei misericordiam!) ubi majori lautitie, ac commoditate detentus in pejus ruere debebat, ibi, Deo inspirante, ad melioremfrugem se ipsum reducere coepit, datisque suae conversionis non levibus indiciis, suum ibi munus explevit. In Conventu vero S. Mariae Sanitatis Barrae serio ac sedulo animae suae statum perpendens, Novissimorum meditatione permotus, defluxae suae vitae culpas amarissime deflere coepit, & tandem ad suum Neapolitanum Conventum Sanitatis reversus tam rigidae ascesi, ac severae poenitentiae animum adplicuit, ut omnes in sui admirationem adtraxerit, dum ita se per mortificationem adtenuare, ac per observantiae rigorem adfligere fategit, ut omnem anteactae vitae ordinem omnino inverteret, purgaretque sanctioris vitae novitas, eaque perseveranti constantia ad mortem usque servata. Qui pridem inter delicias (valetudinarius quidem ac delicatulus) nec eminus jejunia salutabat, delicatiorique cibo vescebatur, arctissimam abstinentiam elegit, abjectoque ne dum carnium cibo, sed omni, vel consue-

to

to Fratribus obsonio, nonnisi herbas, fructus,& ad lautitiem caseum in cibum sibi delegit. Qui antea nobiliores exquirebat vestes, subtilique linea utebatur interula, ex grossiori panno exteriores vestes, ac subuculam, foemoralia,& caligas sibi efformavit, omni lineo vestimento relegato, ac tantam in habitu,cappa, ceterisque vestibus paupertatem servavit, ut omnibus admirationi foret; utque corpus omnino cruciaret,ferreis acutisque catenulis brachia, & lumbos ad obitum fere usque diu noctuque. adflixit: nonnisi super nudas tabulas sola gausapina contectas brevem sumsit somnum, eisdem indutus vestibus,quibus in die utebatur: Chorum in praetermisse frequentavit qualibet nocte ad Matutinas laudes surgens, post quas nec e choro discedebat, sed diu in oratione pernoctans sese flagellis caedere in deliciis habuit: grossiora, ac male efformata calceamenta data opera delegit, ut superbiam, quam in politiori forma olim servaverat, deprimeret; consuetus propterea non leviori gressu, sed tardiori motu incedere, quare in habitu statu motu & incessu devotionem spirabat. E cella,nonnisi necessitate, ac caritate urgente, prosiliit, ab omnium conloquio etiam recreationis tempore abstinens: lectioni, ac jugi meditationi, vel orationi vocali operam dedit; heinc rigidus Eremita potius,quam solitarius Dominicanus videbatur; & quum devotionis ergo Sanctuaria quaedam,vel loca Religiosorum in solitudine sita ad animi recreationem ac spiritus fervorem aliquando non sine Superiorum licentia petebat, pedes iter agens Rosarium & Psalmos per viam recitabat,huncque morem pedes iter agendi, orationibusque iter complendi adhuc Vicarii Generalis munus exercens in visitatione Conventuum suae Congregationis retinuit, nulla sibi unquam in laxitudine requie indulta. Ne autem ab onere suae professionis se eximeret, qui totus propriae depressioni insudabat (nuncio etiam misso activae, ac passivae voci) Missiones per Urbem agere consuevit, sed praesertim rara modestia, ac compositione, nunquam e terra oculos removens, (qui propterea coecus audiebat) quare per exemplum devotionis, plusquam per verba praedicationis,populos ad compunctionem excitavit, pluresque ad poenitentiam revocavit. Similiter in Confessionali quotidie sedens plures ad sanctiorem vivendi normam revocavit, etiam e nobili statu ad humilem vivendi normam aliquibus adductis,& praesertim inter Tertiarias professas Ordinis

nis

nis nostri ab eo directas emicuit V. Soror Maria-Catharina Moles omnibus ex praeclaro nobilitatis genere, sanctiorisq; vitae exemplo apprime nota.

Optabat quidem velut columba gemens in caverna maceriae sibi figere lares, nec unquam ab incepta, diuque protracta vivendi methodo, vel per latum unquem recedere, sed ex obedientiae momento id ei non licuit, quod praefixerat sibi. Semel & iterum fuit Novitiorum instructioni praefectus, quamvis prae nimio, quem fovebat, rigore ab eo munere, ut desisteret, operae praetium fuerit, cumque ex restrictu Sacrae Congregationis, super Disciplina Regulari dictae, fuisset electus Prior sui Conventus S. Mariae Sanitatis, e cella exire, velut alter Lazarus e sepulchro revocatus (ut idemmet in Capitulo dixit, dum in possessionem sui muneris venit, Domini repetens verba: *Lazare veni foras*) quia, nimirum, sedecim a Conversione suae annis in cella detentus, sibique plene mortuus, nec quid in mundo etiam Monastico, fieret, sciens, ad regimen & curam fuit evocatus. Quanta autem sedulitate, quove studio Regularem observantiam foverit ac promoverit, ego etiam scio, qui toto sui Prioratus tempore in Novitiatu S. Mariae Sanitatis degens sub ejus obedientia vixi. Certo certius primorem Patrum nostrorum observantiam rigidioremque ascesim revocans (magna tamen caritate in Refectorio Fratribus, & in Valetudinario infirmis providens) omnes ad exactam legum custodiam, omni prius indulta dispensatione remota, nullo humano respectu detentus, excitavit adstrinxit: quare nec ipso menstruae recreationis consueto die carnium edulium permisit, nec in ejus pervigilio in nocturno Matutino una hora post mediam noctem ibi celebrari semper consueto dispensavit; tantoque rigore, ac valido in correctionibus clamore, Conventum illum per biennium rexit, ut nimius proculdubio videretur, qui vigil observantiae promotor omnem adhibebat operam ad exactiorem custodiam legum, eo quidem actus spiritu, quo ipse in solitudine, ac rigidioris vitae forma Domino inservierat. Talem autem tantamque in regimine austeritatem, experimento doctior factus, temperavit, dum post triennium ad Vicariatus Generalis munus adsumtus per integrum quadriennium Congregationem nostram gubernavit. Ad plura itidem munera delectus, praesertim Visitatoris Conventuum

tuum S.Severi Majoris, ac Jesu & Mariae Provinciae Aprutinae, nobiliorem in eisdem Conventibus observantiam excitavit. Denique laboribus confectus, rigoribus adtritus, jejuniis ita maceratus, ut nonnisi pelle & ossibus constare videretur, ad maciem & squalorem usque redactus, cadaveris imaginem referens, in apoplexin devenit, pluribusque mensibus eadem infirmitate laborans, ad infantiam tandem ex morbo, non sine Dei providentia, devenit, qui scrupulis agitatus ex obitis muneribus diu noctuque dolebat; sed in eadem infirmitate pristinos devotionis actus repetens, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus, me eidem adsistente in agone mortis, placide omnino dormivit cum Patribus suis die XXVII. Mensis Julii An. MDCCXVI. AEtatis suae LXVII. a Conversione vero XXII. In Ecclesiam delatus populi confluentis veneratione fuit decoratus; qua de caussa pluries fuerunt ejus vestes in particulas discissae; pluresque post obitum dies vivum dedit sanguinem ex pedis vena a suis filiis spiritualibus clam in communi coemeterio, in quo fuit tumulatus, incisa. Aliqua post ejus obitum prodigia mihi detulerunt, quae tamen memorare nequeo, quum non probaverim ea, similiter & in vita spiritu prophetico aliqua praedixisse iidem sui poenitentes narraverunt.

XXIX.

F. Petrus Martyr Iride Aversae in Campania honestissima familia natus, & die XIII. Decembris MDCLXXI. inter filios Conventus S. Mariae Sanitatis cooptatus, ac Clericali habitu indutus, vocationis suae haud immemor ad mortem usque Domino inservivit. Orationi addictus a primo praesertim suae religiosae vitae die meditationem sibi familiarem statuit, ac in jucundam exercitationem elegit. Regularis observantiae ita exactus adcuratusque custos fuit, ut, vel leviter ab ea declinare piaculum existimaverit: lineis nunquam usus aut ad carnes, aut in lecto, nonnisi linteum ad extergendum e fronte sudorem, aut ad emungendas nares adhibuit: itinera, etsi aspera, aut ad longiores regiones, pedes semper egit, & tunc dumtaxat secum dispensavit, quum necessitate urgente, aliter non valens, sed aliorum caritate, vectus incessit: a carnium esu semper abstinuit, & solum in infirmitate ex Medicorum praescriptione ac Superiorum jussu eas comedit: solitudinis amantissimus nonnisi ex caritatis momento, &

ex

ex obedientia e Conventu exire visus fuit, ut notum est mihi, & omnibus, quibuscum vixit: Chori frequentiam, etiam noctu, & adhuc dum Lectoris munus obiret, alacriter nimis retinuit ad senectam usque, quando infirmitatibus oppressus media nocte surgere nequivit; nec contentus communibus in Ecclesia precibus, alias ex proprio fervore addidit, pluribus in eisdem, ac in meditatione protractis per diem horis in cella, in Choro, vel in Ecclesia, praesertim in veneratione Augustissimi Sacramenti Altaris: quapropter coelesti lumine inradiatus divina verba eructabat, vel consilia praestans, vel ad nobiliora charismata promovens, vel defectus corrigens, ut nos ex ejus ore excepimus, dum Prioris munus in Conventu S.Spiritus exerceret; eoque pariter ex momento ad eum recolendae memoriae Canonicus infulatus Neapolitanae Ecclesiae D.Petrus-Marcus Gyptius summae perfectionis Sacerdos, & Neapolitani Seminarii Rector ad eum saepius ejusdem Seminarii alumnos dirigebat, ut ex ejus ore coelestia verba haurirent. Studiis addictus insignis evasit cum in Philosophicis, tum in Theologicis rebus, nec ignobilia sui ingenii exantlavit in agonibus monimenta; & quamvis Lectoris munus (praesertim in Congregatione S. Sabinae, ubi diù commoratus, etiam in munere Prioris pluries ibidem exercito) spatio xxiv. annorum exegisset, nunquam tamen ad lauream Magisterii, aut ad alios Ordinis gradus animum inrendit, ab omni semper honore alienus, ut humilitatem omnimodam custodiret. Obedientiam ex animo coluit, Superiorum jussa cordis veneratione suscipiens, & potius subesse optans, quam praeesse; & quamvis pluries fuerit Prior ex obedientia institurus, nunquam tamen aut secum in aliquo dispensavit, aut quovis ex momento disciplinam Regularem relaxavit; nulloque humano praepeditus respectu ad exactam legum custodiam omnes adstrinxit, & rigore servato levissimas etiam culpas eliminare curavit. Qui autem ita exactus erat in sacrarum custodia legum, in paupertatis custodia exactissimus fere ad miraculum fuit, omnique re temporali expoliatus nudum Christum nudus sequi solemne habuit & sacrum. Quamvis enim livellum, seu annuum peculium ex haereditario asse ei responderet, nec obulum quidem ex eo percipere voluit, omnemque proventum Conventui renunciavit, ejusdemque communi deposito voluit plene incorporatum: Novas vestes, aut nova calceamenta

ta eidem, sicut & ceteris Fratribus, stato tempore suppeditata ex communi providentia, respuit, contentus obsoletis & laceris, & universim quae ex spolio defunctorum Fratrum ei Conventus dedisset, eaque nullimode superflua, sed quantum necessitas exigebat, retinuit in camera, ubi nonnisi aliquam imaginem Sacram in charta impressam, & Crucifixi ligneum iconem tenuissimi pretii a Communitate suppeditatum habuit: nec libros quidem ad sui usum voluit, commodatos eos solum exposcens, quos ad sui eruditionem necessarios dignoscebat, & quando ad communem Bibliothecam adcedere nequibat. Strenam itidem, quam ei quotannis Communitas, juxta morem nostrae Congregationis, erogabat, cereos, nimirum, chartam, dulciaria, & id genus, alia, lubentissime vel Sacristiae, vel Communitati concedebat, solo bombycino filo sibi retento ad lycnum. In itinere solo Breviario & interula lanea, caligisque laneis ac cappa onustus, pedes incedens, nullum temporale subsidium secum ferens, ex Conventibus nostris, ad quos declinabat, eleemosynaliter petebat: dum hoc ei agere fas haud erat, in stipem a fidelibus emendicare consuevit quod sibi necessarium foret ad victum. Toto suae vitae cursu nonnisi viginti quatuor asses Neapolitanae monetae (minoris certe pretii duobus Romanis Juliis) ex Superiorum licentia tempore feriarum ad sui animi levamen impendit, dum juvenis Lectoris munus obiret, quam expensam veluti sacrilegii crimen senior flevit, & per plures annos de eodem patrato delicto semper se in exomologesi accusavit. Senex valde ac infirmus ex dulciariis, ac cocolata ad sui levamen, & medicamen ab Optimatibus donatis, nec minimum quid in sui refectionem consumsit, sed omnia infirmis erogavit. Variis detentus infirmitatibus, & atrocibus haemorroidum doloribus cruciatus, coecitate tandem percussus, qui diu pridem coecutiens fuit, summa animi pace ac invicta constantia cuncta toleravit, sicut & convicia quaeque, praesertim ob servatum ab eo rigorem, & quidem haud mediocrem, in regimine, qui cunctos ad exactam Regularem observantiam sine glossa, absque dispensatione adigebat, alacriter tulit; nec unquam tempore suae coecitatis vel a Sacrificio missae (quam ex dispensatione Apostolica cum adsistentia, & de Defunctis, vel de B. Virgine celebravit) vel ab Eucharistica communione abstinuit. Maxima caritate fretus infirmis omnibus, esto & ipse infirmus, adsistebat: &

devotione summa, quamvis nec valens incedere, Chorum adibat, vel in Ecclesia orans insidebat, dum in genua procumbere nequibat. Fide robusta ac spe sublimi munitus nonnisi coelestia desiderare consuevit, spernere terrena, & ceteros ad viam salutis, atque ad perfectionis semitam dirigere; necnon Religiosos omnes ad exactam legum custodiam, quam semper promovere studuit nullo impedimento praepeditus, excitare, ac inflammare non destitit. Meritis igitur & annis onustus, LXXIII. aetatis suae anno, fracta pectoris vena, Sacramentis Ecclesiae communitus, ac peculiaribus pietatis ac virtutis actibus exercitis, ad Dominum transiit die XXII. Augusti Anno Mundi Redemti MDCCXXVII. Ejus vestes sibi in reliquias reservarunt quamplures, iique non e vulgi coetu solum, sed Optimates, praesertim Comitissa de Fongalada uxor Generalis Neapolitanae Classis, quae ipsum, dum in vivis erat, summa veneratione prosequabatur. Ejus autem effigiem in memoriam tanti viri in tela penicillo ac coloribus depictam efformatamque sibi reservarunt post ejus mortem PP. S. Mariae Sanitatis, eidemque subjecto elogio, in atrio Sacristiae laudati Conventus adpenderunt, ubi impraesentiarum prostat, & in ipsomet ejus vultu sic efformato Servi Dei virtutem, devotionem, ac mortificationem est intueri, quod ego, cum eo pluribus annis conversatus, liberrime, ac sincere contestor.

Post celebratos Viros sanctitate inlustres, quorum acta innotuerunt, superest ut eos percenseam, qui itidem sanctimoniae nota insignes in nostra Congregatione effloruerunt, eorum tamen acta non fuerunt a Veteribus distincte adcurateque descripta; aut, si quae olim extiterunt, nunc incuria majorum, aut injuria temporum (contagii praesertim, quod Regnum & Urbem infecit, pluraque monumenta flammis & oblivioni sacravit) penitus evolarunt, & nonnisi memoria illorum in benedictione est apud Nostros, apud quos tamen pauca, sed insignia extant horumce acta laude digna: quare ne & haec temporum successu omnino pereant, heic veluti per Synopsim enarrare operae pretium jure merito duxi. Haec autem, quae adjicio, sincera sunt & authentica; ex pluribus MSS. Necrologiis, & monumentis fide dignis excerpta: utque in eisdem exscribendis eandem servem methodum, quam tenui in describendis ceterorum Actis,

tem-

temporum chronotaxim servabo, ut juxta annorum seriem Natalem percenseam & memoriam eorum, qui in Domino dormierunt: eorum autem, quorum emortualis dies & mensis plene latet, memoriam percensebo eo non adnotato, & ne videar divinare, Saeculi adhuc aetatem haud indigitabo, nec eam circiter aetatem eos constituam, qua probabile est diem clausisse extremum; quamvis, ut verum fatear, pauci omnino ii sint, quorum natalitius dies (quo nempe, ut pie creditur, nasci meruerunt in Coelis) non sit a nostris albo lapillo signatus. Sit ergo ita concinnatus elenchus istorum instar Necrologii generalis, seu potius Micrologii nostrae Congregationis.

I. In Conventu Sanctae Mariae Sanitatis XVII. Octobris MDLXXXXII. in Domino requievit F. Johannes de Layno Conversus, qui e Provincia Regni ad nostram Congregationem strictioris observantiae caussa convolavit, eidemque adscriptus maximam in ea servavit humilitatem, caritatem, obedientiam, sacrarum legum custodiam, & devotionem: quare summa omnium, praesertim Saecularium, aedificatione se virtutis specimen exhibuit, & non sine sanctitatis nota exivit e mundo.

II. In Conventu S. Mariae Sanitatis, seu SS. Rosarii, Barrae tunc temporis hospitio Fratrum Conventus S. Mariae Sanitatis de Neapoli, die XXIII. Octobris MDLXXXIX. rupta pectoris vena, sacrisque mysteriis rite expiatus obdormivit in Domino F. Antonius Valleranus de Summa, seu de Vesuvio, Clericus professus, ibidem aëris beneficio in sua infirmitate donandus degens, Juvenis summae exspectationis, magnaeque religiosae virtutis, orationi ac mortificationi nimium addictus.

III. In Conventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli die XXIV. Octobris MDC. migravit ad Dominum P. F. Petrus Martyr Golinus Neapolitanus, qui simul cum aliis Fratribus (ut supra itidem fuit adnotatum) Nolam in Campania missus, ut Sacramenta ministraret infirmis aëris contagione infectis, simulque cum aliis pestifera febre percussus, ceteris convalescentibus, ipse fato cedens ad Dominum ivit, in cujus gloriam animam suam posuit ac dedit pro fratribus suis.

IV. In Conventu S. Spiritus de Neapoli mense Julio Ann. MDCIV. cum opinione sanctitatis vale dixit mundo Clericus

R 2 pro-

professus F. Hieronymus de Magnis, Guardiae Lombardae in Provincia Principatus ulterioris in Regno natus.

V. In Conventu S. Mariae Sanitaris die xvi. Augusti MDCIV. ad Dominum transiit F. Ambrosius Conversus, agnomine Spacca, maximae caritatis, eximiae devotionis, ac singularis observantiae Monasticae cultor, Deo & hominibus vere dilectus.

VI. In Conventu S. Thomae de Priverno Provinciae Romanae die xx. Februarii MDCXXIII. in pace quievit devotissimus P. F. Stephanus Morelli Capuanus, mihi ex matre sanguine junctus (patruus quippe fuit Genitricis meae Johannae Morelli) qui ob eximiam virtutem, ac exactam Regularem observantiam eidem Conventui extra-provincialis fuit Prior praefectus, quo in munere pie decessit.

VII. Herculani (vulgo *Torre del Greco*) in Campania Anno Domini MDCXXXI. erumpentibus Vesuvii flammis, & finitimas quasque regiones vastantibus, P. F. Johannes Baptista de Dominicis Acerranus, qui illuc perrexerat, ut fideles ad poenitentiam revocatos Domino reconciliaret, omnesque itidem ad meliorem frugem promoveret in tam gravi discrimine, atrocique Dei flagello, se Deo in caritatis victimam ne dum, sed & in holocaustum quoque obtulit pro fratribus suis. Concrescente namque flamma, atque igniti bituminis adluvione decurrente in locum eundem, ubi ex Altari sacra faciebat, evocatus ad absolutionis beneficium impartiendum accolis jam jam igne consumendis, impavidus veloxque, nec sacris vestibus depositis, adcurrens, cunctis absolutione impensa, dum noluit inde discedere, ut ad seriam poenitentiam declamando omnes induceret, vel in ea firmaret jam corde contritos, flammis circumdatus, haud valens incendium effugere, vivicomburio migravit ad Dominum verae caritatis hostia, qui ita pro salute fidelium obiens ostendit, quod *segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit*, ut de S. Laurentio Martyre S. Leo M. adnotavit (*a*).

VIII. In Conventu S. Mariae Sanitatis die ix. Junii MDCXXXII. pie decessit Fr. Albertus de Neapoli Conversus, qui nimio studio, sedulaque opera Coementarii munus

(a) *S. Leo Magnus R. P. Serm.* *Juxta edition. Quesnellii.* LXXXIII. *in festo S. Laurentii Martyr.*

rus obivit, ac summa caritate pauperibus stipem erogavit in munere Ostiarii, & juxta professionis suae statum in sancta conversatione ad senectam usque, & extremum suae vitae diem pervenit.

IX. In Conventu S. Spiritus die VII. Augusti MDCXXXIV. innocuam animam reddidit Creatori P. F. Johannes Baptista Maldacea Neapolitanus, magno post se relicto virtutum, praecipue virginitatis, odore.

X. In Conventu S. M. Sanitatis de Neapoli die XVI. Augusti MDCXLII. non dum expleto XV. aetatis suae anno, & dumtaxat decem a receptione habitus elapsis mensibus, sancto fine quievit F. Julianus Tortorella Neapolitanus, ad educationem Clericali habitu indutus, maxima in Deum spe munitus, ardenti caritate flagrans, qui, fere mortis suae praescius, per novemdiales preces, piasque exercitationes se praeparavit ad devote excolendum Virginis in Coelum adsumtae triumphum, eoque celebrato, postera die vale dixit mundo, quem potius nesciverat, quam reliquerat. Omnium plane animos dolor obsedit in morte innocentis pueri, sed virtus ejusdem in omni pietatis exercitio, praesertim in summa patientia, quam in extremo morbo in pervigilio Adsumtionis contracto ex ardente febri, ac gutturis inflammatione, exantlavit, ad laetitiam post funus cunctos evexit.

XI. In Conventu S. Mariae ad Vicum de Argentio die VII. Septembris MDCXLIII. denatus est Clericus professus F. Joseph Valletta Neapolitanus, qui pariformiter, quasi praecognita imminente sibi morte, vel in ipso suae adolescentiae flore, ad mortem se praeparavit per integrum mensis spatium in jejuniis, orationibus, lacrymis, omnique devotionis exercitio: quare ad diem sui transitus elapso mense perveniens, Sacramentis Ecclesiae pie sancteque munitus obdormivit in pace.

XII. In Coventu Sanctae Mariae Sanitatis de Neapoli Anno MDCXXVII. gloriose e vivis excessit P. F. Clemens Scoppa, qui XVIII. aetatis suae anno ad habitum Clericalem admissus die XVII. Aprilis MDLXXXVI. ad tantam devenit perfectionem, vel in ipso suo Tyrocinio, ut aviculam evolantem solo obedientiae imperio sistere potuerit, & manu comprehendere illam, & Sacerdos inde inauguratus in omni virtutum genere se exercuit, hinc sanctam vitam pretiosa morte coronavit.

XIII.

XIII. In eodem Conventu S. Mariae Sanitatis Anno Salutis MDCXL. cum magna sanctitatis opinione decessit P.F. Jordanus de Cunctis, qui eodem Anno MDLXXXVI. ad habitum receptus, ita in virtute profecit, ut post mortem ad ejus sanctitatis tesseram omnibus conspicuae fuerit ejus cadaver a PP. ejusdem domus in Capella SS. Crucifixi tumulatum: similiter in omnibus libris, ac Necrologiis nostris ejusdem virtus, ac pretiosa mors commendatur.

XIV. In Conventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli die 11. Martii MDCXLVIII. mortuus est in osculo Domini F. Ildelphonsus Curial nobilis Hispanus, non dum expleto probationis anno, sed magnam sanctitatis fragantiam redolens, cujus virtute ac pretiosa morte permotus ejus Pater (quem etiam praeiverat alius ejus filius pariter in nostra Congregatione Clericali habitu indutus, & Sacerdotio inauguratus) matrimonii vinculo solutus, esto senex, ad Conventum S. Mariae Sanitatis convolavit, & inter Fratres Conversos se adgregandum enixe rogavit, sed ex gratia speciali M. Ordinis, licet in Conversorum statu, albo habitu fuit distinctus, dictus pariter ex memoria sui filii in Domino mortui F. Ildelphonsus, qui tandem etiam sancto fine quievit.

XV. In eodem Conventu S. Mariae Sanitatis die XVII. Februarii MDCXLIX. in senectute bona, sed non sine sanctitatis odore, requievit P. F. Johannes-Vincentius Itri minicolator insignis, qui in affabre efformandis choralibus libris, litteris ac notis uncialibus, necnon in adornandis imaginibus capitalibus litteris auro argento coloribusque fuit excellens, ut videre est in libris choralibus ejusdem Conventus ad miraculum usque minicolatis, ab eoque scriptis, atque depictis. Eximius quoque fuit in efformandis scalpello ligneis imaginibus Jesu Christi Crucifixi, quarum aliquae ad praesentem usque diem ibidem servantur; sed praecipue commendandus, quia in corde suo sculpsit imaginem Crucifixi, in cujus amplexu animam reddidit Creatori.

XVI. In Conventu S. Spiritus Anno MDCLVI. cum optima opinione obiit F. Petrus de Lacunigro, *Junior* dictus, ad discrimen prioris, seu *Senioris*, de quo supra est actum, pariter professione Conversus, qui eximiae probitatis describitur in Necrologio ejusdem Conventus.

XVII. Eodem Anno MDCLVI. a mense Aprilis ad mensem Septem-

Septembris, usque pestifera lue in Urbe Neapoli (sicut & in Regno) grassante, quum innumeri viri Religiosi caritate Dei succensi animam suam posuerint pro fratribus suis in spirituali subsidio ministrando fidelibus eodem contagio languentibus, & ex Ordine Praedicatorum plures certe numero fuerint, qui hanc arduam susceperint spartam, nonnullis ex eisdem in sancto ministerio infectis, atque defunctis, eos inter, dubio procul, e nostra Congregatione multos foret dinumerare, si eo tempore res tota distincte adcurateque fuisset posterorum memoriae demandata; at quia plura evolarunt monumenta, ultra ceteros jam in hoc munere insignes a nobis superius enumeratos, alios dabimus, qui tam sancto caritatis ministerio sese victimam Domino obtulerunt. E coetu Sacerdotum sunt F. Amandus de Flandria, & F. Johannes Baptista de Bajano, qui in ministrandis Sacramentis peste ictis & ipsi lethali lue infecti mortem oppetierunt; e coetu Conversorum vero F. Modestus de Neapoli, qui in temporali subsidio exhibendo infirmis, infirmatus quoque ipsomet morbo, pro Domino subiit mortem.

XVIII. In Collegio Montis Dei die XII. Martii MDCLXXXII. cum odore, & fama virtutum diem clausit extremum P.M.F. Augustinus Calderius de Monte Militum, Ex-Vicarius Generalis Congregationis S.M.Sanitatis, exactae observantiae, summae paupertatis, & eximiae simplicitatis vir, qui Romam pedes adiit ad tuenda jura Congregationis, reportavitque triumphum obtentento decreto confirmativo Privilegiorum ejusdem Congregationis, imposito perpetuo silentio PP. Provinciae Regni, ut in Prolegomenis fuit distincte adnotatum. De quo etiam II. Libro.

XIX. In Conventu SS. Rosarii, seu Sanitatis Barrae Anno MDCLXXXVII. feliciter decessit P. F. Consalvus Alvarez Pereyra Portuensis in Lusitania nobilissima progenie natus, qui tamen dum vixit suos natales occultare studuit, semper se de Lusitania dicens, verbo & scripto se ita declarans ad humilitatem fovendam, quam retinuit in regimine primorum nostrae Congregationis Conventuum, haud tamen laesa regendi authoritate, quam ad exactam Regularem observantiam, cui ex corde semper adhaesit, constanti pectore adhibuit.

XX. In Conventu S.Spiritus die III. Junii MDCCXXII. pretiosa morte terram reliquit in senectute bona P. L. F. Johannes Bapti-

Baptiſta Sion de Petra Vairana in Campania, qui praedicta familiaribus, & amicis morte paulo ante ſui obitus diem, dum poſtremum vale dixit eis, in pervigilio feſti Corporis Chriſti, mane celebrato Sacro, deinde cantatis in Choro Veſperis, de more ad Bibliothecam adcedens, & ſedens ad tabulam, legenſque Lucae Pinelli librum de ſtatu animae, illiuſque tranſitu ad Dominum, compunctione maxima, devotione ſumma incenſus, lacrymiſque perfuſus, ſumma pace requievit in Domino, ut non ſine lacrymis ego eum vidi ſic fato functum adhuc manibus retinentem librum, & veluti meditantem, non vero defunctum conſpexi ſenem ſummae ſimplicitatis, ac zeli pro bono communi, cujus puriſſimam conſcientiam exploratam habebam ex ejus exomologeſi ſaepius apud me facta.

XXI. In Collegio Montis Dei Anno MDCCXXXI., die, qua praedixerat, XXVII. Martii, nimirum, Fer. VI. in Paraſceve (ut ego quoque tunc ibidem Baccalaurei Ordinarii munus exercens ab ejuſdem decumbentis ore excepi) migravit ad Dominum P. M. F. Antonius Muſcato de Serino in Provincia Principatus Citerioris, vir aeque doctus, & pius, ſtudiis, orationi, ſolitudini, ac meditationi addictus, Regularis obſervantiae cuſtos & zelator; ſicut etiam devotionis atque pietatis, magnaeque itidem paupertatis atque expropriationis amantiſſimus, qui pluries fuit Rector ejuſdem Collegii, & tertium Vicarius Generalis noſtrae Congregationis, ſemel etiam & iterum Viſitator Monaſterii S. Annae Nuceriae Paganorum, & poſtremum Anno Aetatis ſuae LXXVII. devote nimium, & cum optima omnium opinione mundum reliquit.

Ad hanc etiam claſſem pertinent aliqui infra laudandi, nimirum, Cardinalis Ferrara, Julianus de Fiore, Joſeph de Ariano, Ambroſius de Cordova Epiſcopus Tropejenſis, & reliqui, quorum acta infra dabuntur.



DE VIRIS DIGNITATE INLUSTRIBUS

LIBER II.



E viris, qui dignitatibus decorati nostram Congregationem inlustrarunt, acturus haud exactam chronotaxim servabo, sed primitus unius S. R. E. Cardinalis amplissimi acta percensebo, deinde adcurata serie, & chronologico ordine retento, Episcoporum gesta, seu illorum elenchum adponam juxta illorum inaugurationis chronologiam, etsi eos inter unus sit Archiepiscopali dignitate insignitus: post eos autem conlocabo ceteros, qui variis honorificis muneribus insigniti effloruerunt, esto ex iis plures longe ante vita praeiverint aliquos Episcopalibus Infulis redimitos, ne ulla inrogata videatur Apostolico ordini injuria ex potiori illis adsignato in serie loco. Nec quidem omnium acta plene expendam, ne longum nimis ea in re funem traham, in qua ad nostri operis institutum satis est eos vel digito monstrasse; utque ad umbelicum res tota perducatur, etiam eos indicabo, qui in Ordine speciali decore fuerunt distincti, sed extra Congregationem eisdem muneribus decorati. Cogor etiam me, licet immeritum, in hac serie conlocare, ut integrum absolvatur opus; & quamvis aegre nimium ex mei cognitione, quem D.O.M. ex sola misericordia ad Stabiensem regendam Ecclesiam evocare dignatus est, ne tamen, quid in me egerit Dominus, ingratitudinis silentio praeteream, de me, velut de alieno, loquar, & quae ediderim opera percensebo, non secus ac plures alii, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agentes sese quoque inter eos adnumerare non dubitarunt, ut ab ipsis edita opera indicarent, quos inter ex Recentioribus emicant N. Cl. Xystus Senensis, &

Johannes Trithemius; ex Veteribus autem Hieronymus, Gennadius, & Honorius. Quid itidem si lustres Evangelia Matthaei ac Johannis, qui se ipsos ad historiae ordinem, & rerum gestarum seriem describere, velut alienos, non dubitarunt? Hoc igitur ex momento, nulla gloriolae captandae caussa permotus, quid mecum egerit Dominus, non vero quid merear, aut quid adpetam ego omnium novissimus, & abortivus tam insignis Congregationis alumnus, fideliter, & ingenue adnotabo. Sit ergo ita dispositus Elenchus.

I.

F. Thomas Ferrari natione Aletinus, patria Manduriensis in Provincia Hydruntina in Regno nostro piis honestisque parentibus ortus, & pie nimium educatus, adhuc adolescens Ordini Praedicatorum adlectus in Provincia S. Thomae de Apulia, & Conventui Sanctissimi Rosarii suae Patriae Manduriae (vulgo *Casal nuovo di Lecce*) adfiliatus, modestiae, obedientiae, ac Regularis observantiae haud ignobile se praestitit exemplar. Post emissam professionem consuetis in Ordine studiis addictus, confestim quo talento, quave mentis acie polleret in scholasticis exercitationibus manifestavit: quare ut magis magisque in Philosophicis, ac Theologicis proficeret, Neapolim missus, ac adsignatus in Conventu S. Spiritus Congregationis nostrae Sanitatis majores exhibuit suae mentis, suique profectus, necnon verae suae devotionis monimenta, praesertim rarae modestiae, ac singularis humilitatis. Gradatim autem ad majores Ordines, ad Sacerdotium usque promotus, ut sua studia compleret, & ad apicem eorum perveniret, in Collegio Montis Dei ejusdem Congregationis fuit adsignatus sub cura, & magisterio Cl. P.M. F. Philippi Incenso Tarentini, qui tunc temporis ibidem, nec sine magna nominis fama, Regentis munus obibat, sub quo ita profecit, ut facillime audiret discipulus supra magistrum: quare necdum licentiatus, ob singularem etiam in Rhetoricis eruditionem, a PP. S. Spiritus, quibus carissimus erat, fuit delectus ad panegyricam orationem habendam in laudem S. Rosae Limensis, cujus festum in eorum Ecclesia solemniter celebrabatur; cumque apud eos praesertim magnam ex celeberrima recitata oratione gratiam promeruisset, ab eisdem (quod rarum omnino est) obtenta prius a Sacra Congregatione Episcoporum, & Re-

Rigularium licentia, fuit eidem Conventui inter filios cooptatus, dum adhuc Studens Collegialis foret, non ſine magno ſui gaudio: quare & tunc debitas eisdem rependit grates, & ſemper dum vixit favorem hunc, ex quo ſibi gradum ad purpuram fecit, commendavit, ac moriens aeterno monumento conteſtatum voluit, ut ex ejus teſtamento conligere fas eſt. Cathedris Philoſophicis primum, deinde Theologicis, actutum poſt Lectoratus gradum regendis addictus, tantam ſibi ex profunditate, claritate, ac ſubtilitate in proponendis diſſolvendiſque objectionibus, necnon in ediſſerendis obſcurioribus ſcholaſticis controverſiis apud omnes promeruit gloriam, ut communi omnium ſenſu *monſtrum* audiret imprimis. Deinde Romam ad examen pro obtinendis gradibus ad lauream magiſtralem uſque vocatus, rigidoque examine probatus, dignus fuit inventus, qui in nobilioribus Univerſitatibus Ordinis Theologiam doceret, quare miſſus Studentium Magiſter in Collegium S. Thomae Aquinatis de Neapoli, ubi primum etiam Lectoris Artium munus obierat, ita ibidem ſuae probitatis, ſimul ac doctrinae radios diffudit, ut novo propterea elogio decoratus, *Scientiae arca* univerſali plauſu audiret. Quum autem Romae Anno MDCLXXVII. in Comitiis generalibus Ordinis publicas theſes Cardinali Alterio nuncupatas in Eccleſia S.Mariae ſuper Minervam rara profunditate, eximia claritate, ac eruditione ſingulari defenſaſſet, tantam ſibi gloriam vel ex eo ſcholaſtico certamine comparavit, ut omnium in ſe excitato ſtupore, ab omnibus ibidem adſiſtentibus, cum ex Seculari, tum ex Regulari Clero ſelectis Theologis fuerit una voce inclamatum ingeminatumque: *Fiat Magiſter, fiat Magiſter*: communique voci ac voto pro merito ſatisfecit Magiſter Ordinis, dum protinus noſtrum Ferrarium Magiſtrali Laurea decoravit. Ne autem lucerna ſub modio deliteſceret, lauream voluit eidem in teſſeram cedere & peracti agonis, & novi laboris: quare iterum eum miſit in laudatum Collegium S.Thomae Aquinatis, ut eas regeret cum decore ſcholas, & primum quidem ſub munere Baccalaurei Ordinarii, deinde ſtudiorum Regentis. Nec quidem ibi ſolum ſuae doctrinae radios diffudit, ſed magno emicuit ſanctitatis coruſco: quare diſcipulos, & ad eruditionis ſcholaſticae, & ad Chriſtianae perfectionis metam tanto virorum inluſtrium plauſu direxit, ut V.P. D. Antonius de Torres omnes

filios suos Spirituales Clero Seculari adscriptos, qui certe pauci numero haud erant, ad eum semper direxerit, ejusdemque scholae addixerit. Dum autem ibi laudatum Regentis munus obiret, & ex praefato momento ejus gloria nedum in nostra Urbe, verum per orbem fere integrum reboaret, venerandae memoriae Innocentius XI. P. M. in reformatione Cl. Coenobii S. Dominici de Bononia, instituturus ibidem studiorum Regentem, qui discipulos sancte docteque instrueret, nostrum Ferrarium, primum, ac unicum extra-Provincialem Regentem delegit, cui hanc committeret spartam. Pontificio decreto, qua par erat, obedientia ac demissione parens N. F. Thomas actutum se Bononiam contulit, ubi tanta comitate, Regulari observantia, humilitate, ac doctrina praefulsit, ut extra-Provincialis licet, & in tali rerum discrimine, vel ab ipsis utriusque Cl. Lombardiae Provinciae filiis fuerit ad teneritudinem usque adamatus. Quid ultra? Tam late per orbem suae virtutis radios magis magisque diffudit, ut idem V. R. P. Innocentius XI. cui ob eximiam suam virtutem carissimus erat, suffecturus demortuo N. Puteobonello Magistrum Apostolici palatii, inter plures sibi propositos, eosque delectos viros, N. Ferrarium, ceu digniorem, selegerit, cui etiam Apostolici Ecclesiastis munus demandavit. Utrumque munus magno omnium plausu exercuit Ferrarius; quamvis postea utroque nimium gravatus non valens utrique satisfacere, ut sedulo exercere posset munus Magistri Apostolici palatii, ultro libenterque muneri Ecclesiastis Apostolici nuntium misit, adceptante quidem ex rationabili momento eodem R. Pontifice, esto non sine sui animi moerore, dum volupe nimium ei erat Ferrarium concionantem audire.

Ad Pontificium thronum die XII. Julii MDCXCI. evecto Neapolitano Antistite Antonio Pignatello, qui sibi Innocentii XII. nomen imposuit, Ferrarii meritum condigno praemio fuit condecoratum. Quum enim laudatus Innocentius XII. perspicuam haberet nostri Ferrarii virtutem, experimento pariter ab eodem R. P. comprobatam tunc temporis, quum Bononiae ipse Apostolici Legati munus obiret, & ibidem eo quoque tempore Ferrarius Studiorum Regentis partes expleret, ac praecipue ob ejusdem lucubrationes Apostolico mandato peractas super quaestionibus *de Regaliis*, ob excitatas ea de re in Galliis contro-

troverſiis, omnibus apprime notis, omnibuſque ejusdem meritis penſatis, iis praeſertim,quae ſibi in Magiſterio Sacri Palatii comparaverat, ad ſacram purpuram eum delegit, & inter S. R. E. Cardinales ſub titulo S. Clementis (a Cardinale Dada renunciato) eundem, & neſcientem, & prae humilitate reluctantem, adgregavit; utque conlatum honorem tandem adceptaret, nec ultra refragaretur, obedientiae impoſito praecepto parere coëgit: qua in in re maxime ejus humilitas effulſit, dum ad pedes R. Pontificis provolutus, ejusdem imperio parens, grates ei rependens, ac ſe omnino indignum tanti honoris profitens, illud e Cantico Annae repetens, ex intimis praecordiis ſummo Eccleſiae Hierarchae in ſui propria exaltatione aptavit, dicens: *De ſtercore elevas pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriae teneat.*

In ſupremo Cardinalatus faſtigio conſtitutus, quam ſemper in Clauſtro, aliiſque muneribus corde foverat, humilitatem, altius cuſtodivit: modeſtiam, quam ſemper adamaverat, nec latum unguem, aut tranſverſam paleam a ſe longe abire permiſit: Regularem exactam obſervantiam, quam toto ſuae vitae tempore cuſtodiverat, ſervandam curavit; quare laceris obſoletis, conſartiſque laneis interioribus veſtibus ſemper uſus, jejunia Ordinis ſervavit, novis etiam, aliiſque ex devotione ſeverioribus adjectis: quum etiam eo in gradu pane, & aqua jejunaverit in pervigiliis omnibus feſtorum Virginis Deiparae, ejus Sponſi Joſephi, S. P. Dominici, S. Thomae Aquinatis, S.Catharinae Senenſis, ac S. P. Auguſtini; quinimmo in vigilia Nativitatis Domini noſtri Jesu Chriſti, ac in die Paraſceves ab omni prorſus cibo ac potu abſtinens, quadraginta ſolidis horis jejunus in oratione aſſiduus eſſe conſuevit. Carnes nunquam comedit, niſi in gravi infirmitate, quando medicorum conſilio ac juſſu, necnon praecepro ſui confeſſarii cl.m. F. Auguſtini Pipia (qui poſtea fuit Magiſter Ordinis, & S. R. E. Cardinalis) coactus, aliquot ſolum diebus ab eis non abſtinuit. Vulgari menſa, ac groſſioribus ſemper cibis uſus, ſpiritualium librorum lectio ut prandium comitaretur, ſacrum habuit ac ſolemne. Poſt prandium vero, ne vel breve tempus in vanum conſumeret, aſceticos libros evolvebat. Devotionem, quam ſibi comitem adſciverat, adauxit: quotidie Eccleſias, ubi expoſitum erat ad quadraginta

ta circulares horas venerabile Eucharistiae Sacramentum, invisebat; ibique suam orationem ac ceteros Religionis actus habebat: a quo devotionis exercitio tunc solum abstinuit, quum gravi aliquo urgente negotio pertractando in Sacris Congregationibus, quibus erat addictus, eisque pluribus, nimirum S. Inquisitionis, Concilii, Episcoporum, & Regularium, Indicis, & Indulgentiarum dictis, ac Novae sub Clemente XI. erectae super Kalendario Romano, Deum pro Deo relinquens, ut S. Philippus Nerius ajebat, esto non sine cordis sui moerore, communi Ecclesiae bono studere cogebatur. Longe semper abiens ab omni carnis, ac sanguinis respectu, aut adfectu, Ecclesiasticos proventus nonnisi in opera a Sacris Canonibus praescripta impendit, in pauperibus, nempe, alendis, dotandis periclitantibus puellis, fovendis neophytis, Regularibus mendicantibus sublevandis, &c. Justitiam, aequitatem, constantiam, ac rectitudinem semper aemulatus, nunquam, quovis ex momento, quavis ex caussa, a scopo veritatis aberravit: nullo adlectus favore, nullo permotus timore a justitiae, ac sanctioris disciplinae tuendae tramite deflexit, Deum semper, Deique honorem prae oculis habens. In eodem quoque gradu seriis, ac nobilioribus studiis deditus lucis suae, suaeque scientiae radios tanta sui gloria diffudit, ut eum suspexerint nedum eruditi quique Romanae communionis Theologi, verum etiam ab ea segreges quique docti: quare N. amplissimi Cardinalis in Congregationibus prolata sententia, vel expressum votum ac judicium veluti insignioris Academiae decisio pensabatur. Quum autem omnes ita ejus doctrinam tanti fecerint, praeceteris tamen tres Romani Pontifices summis laudibus commendarunt, ac commendandam facto judicarunt. De utroque Innocentio XI. & XII. jam satis superque pater, de Clemente XI. sub quo demum floruit, pauca adjicere fas est. Excitatis namque in Gallia tumultibus ex damnatis in Paschasio Quesnellio famosis CI. thesibus, quum facile adduci haud possent Sorbonici, ceterique eisdem auxiliares manus porrigentes, ut Pontificio decreto absolute subscriberent, ii praesertim, qui falso detenti praejudicio, ardentius reclamabant, ad turbas componendas ab eodem R. P. delectus fuit N. Cardinalis, qui catholicum dogma confirmans, ac R. Pontificis Diploma expendens, Jansenianum dogma in Quesnellio iterum iterumque confutans, secernensque

prae-

praetioſum a vili, facillime ad obedientiam perduceret doctos alioquin oppoſitores, qui Ferrarium pro merito venerantes, & virtutem, ingenuitatem, ac doctrinam ejus ſuſpicientes, ejus ſcriptis permoti deſtitiſſent a rumoribus, & a clamoribus omnino ceſſaſſent. Et revera exſpectabant Sorbonici N. Ferrarii ſcripturas, praeſtolabantur avidi lucubrationes ejus, ipſemet R. P. Clemens XI. ejusdem opus ſuſpirabat, reſque ei pro voto ceſſiſſet, niſi morte fuiſſet praeventus. Huicce quidem ſibi demandato exſequendo labori incumbens, nec inter aeſtivos calores ſibi parcens, ita laxatus elanguit, ut tandem operi, ac vitae glorioſum impoſuerit finem. Laboribus igitur, pluſquam annis, oppreſſus, meritis, pluſquam diebus, onuſtus, vir ſpectabilis duplici redimitus corona ſcientiae, nimirum, & ſanctitatis, quin inſuper ad coronam ſuae virtutis ſpiritu propheriae a Domino coronatus(ut innotuit in duplici ejus comprobato vaticinio de rebus, quas nulla humana cognitione, nullo naturali medio praeſcire fas erat) ad diem pervenit extremum, albo procul dubio adnotandum lapillo, quum commendabilis vitae fuerit pretioſa corona. Omnibus igitur Eccleſiae Sacramentis de more, ſed maxima devotione, expiatus, ceteriſque Eccleſiae theſauris ad plenariam animae purificationem ditatus,totum ſe divinae voluntati commiſit. Teſtamentum ex ſuprema Pontificia diſpenſatione confecit, ſed quod certe omnibus ſupremi ordinis Praeſulibus exemplo fore deberet ad ſanctioris Eccleſiaſticae diſciplinae normam exacte tenendam; abjectaque rerum omnium temporalium cura, qui Deo ſemper adhaeſerat, terrena ſpreverat cuncta, in Pſalmis, & Hymnis reliquum ſuae vitae abſolvit. Inter choros namque ſacerdotum, omnium fere ex Ordine noſtro, ex eoque primorum, Deo pſallens ad finem properavit,& in agone poſitus, jam jam ſpiritum exhalaturus, dum conſueto Ordinis cantu intonata fuit antiphona *Salve Regina*, ſerena fronte intuitus ſuos Fratres, quaſi ultimum eis vale dicens, oculos in Coelum intendens, ac ſupinus recubans, inter cantica ſacra innocuam animam ſub patrocinio Deiparae reddidit Creatori die xx. Auguſti MDCCXVI.

Ejus cadaver decenti pompa tumulatum fuit in Eccleſia Sanctae Sabinae, ubi adhuc vivens ſibi ſarcophagum extruxerat humili lapide contectum, cui poſt funus, dies, & annus emortualis,

ſicut

ſicut aetatis ſuae ultimus, fuit adjectus, quum ipſe ſibi vivens inſcriptionem ſepulchralem eodem in marmoreo albo lapide inſculpendam curaverit. Quare ad majorem tanti viri gloriam heic eam traſcribere non taedet

D. O. M.
F. Thomas M. Ferrari
Cardinalis S. Clementis
Sacri Ordinis
Fratrum Praedicatorum
Obiit die XX. Auguſti
Anno Domini MDCCXVI.
Aetatis ſuae LXIX.

Eidem Conventui ad excolendam in eo ſimul cum Regulari obſervantia litteraturam, ſuos omnes libros donavit, ac proprio aere a fundamentis Bibliothecam erexit; quare in monimentum tanti beneficii Patres ejusdem Conventus lapidem marmoreum ante fores ejusdem Bibliothecae cum hac inſcriptione ponendum curarunt.

F. Thomae Maria Ferrari Mandurienſi
Ordinis Praedicatorum
S. R. E. Cardinali S. Clementis
Doctrina pietate ceteriſque virtutibus
Abſolutae ſanctitatis argumentis commendato
Patres Coenobii S. Sabinae
Eximiis locupletati beneficiis
Ob
Bibliothecam e fundamentis extructam
Libris refertam
Annuoque cenſu auctam
B. M. PP. Anno MDCCXIX.

Quum autem in ceteris Ordinis Conventibus tanto viro fuiſſet parentatum, in Conventu ſuo S. Spiritus de Neapoli, cui & vivens, & moriens ſuae gratitudinis monimenta exhibuit, ſolemniori, qua poteſt concipi, funebri pompa fuerunt ejusdem exſe-

exſequiae celebratae, quatercentis circiter aureis nummis in funeris pompa expenſis, in eoque orationem habuit inſignis orator e Societate Jesu P. Carolus de Bonis, quae Neapolitanis typis fuit commiſſa, (a) in eaque tanti viri acta percenſentur, etſi non omnia, quae ad oratoris notitiam devenire non potuerunt ob eximii Cardinalis humilitatem, ex eaque aliqua exaravi, alia ab ejus familiaribus fide dignis, atque a ceteris Ordinis noſtri Fratribus ſincere, ac ingenue rem totam conteſtantibus; & o utinam tunc fuiſſent omnia ejus acta adtente conlecta, & typis mandata! Haberemus impraeſentiarum nobiliora monumenta ad perennitatem virtutis ampliſſimi S.R.E. Cardinalis. Ejus tamen cum laude meminerunt NN. Dominicus Ponſi (b), Antoninus Bremondt (c), Hyacinthus Amat de Graveſon (d), Jacobus Echard (e), & Michaël Cavalerius (f); ſed praecipue eum glorificavit noſtri Ordinis tunc Generalis Magiſter Cl. F. Antoninus Cloche eruditiſſima ſua encyclica epiſtola ad Ordinem directa, & Romanis typis commiſſa. Ex Exteris autem quamplures, iique doctiſſimi viri, virtutem, & ſcientiam tanti viri commendarunt, praeſertim Comes de Elce (g), Pompejus Sarnelli Epiſcopus Vigilienſis (h), Hyacinthus Gimma, (i) & Philippus Rondinini (k).

Sui ingenii plurima monumenta reliquit, & praeter ea, quae in Vaticana ſervantur, in Bibliotheca S.Sabinae ejus MSS. partim proprio, partim alieno charactere exarata exſtant

1. *In univerſam Ariſtotelis Philoſophiam.*

2. *In S. Thomae Summam de Sacra doctrina: de Deo uno: de divinis attributis: de ſacroſancto Trinitatis myſterio: de Angelis: de vitiis & peccatis: de gratia Dei: de fide, ſpe, & charitate.*

T Hi

(a) *Oratio haec ſimul cum aliis laudati Cardinalis elogiis edita fuit Neapoli typis Felicis Moſca 1717 & nuncupata fuit tunc Eminentiſſimo Cardinali Urſino, qui fuit poſtea S.P. Benedictus XIII.*

(b) *Ponſi* Vita del Generale Cloche.

(c) *Bremondt* Bullar. Ord. Praedic.

(d) *Graveſon* Hiſt. Eccl. Saec. XVII.

(e) *Echard* Script. Ord. Tom. II.

(f) *Cavalerius* Galleria Dominican. Tom. I.

(g) *De Elce* Relation. della Cort. Roman. Papi, e Cardinali.

(h) *Sarnelli* Letter. Eccleſ. Tom. I. Lett. XL.

(i) *Gimma* Elogj Accademic. P. I. pag. 270.

(k) *Rondininus* De Baſilica S. Clementis Lib. II. cap. 11. num. 41.

Hi autem Tractatus ab eodem compositi, & e cathedra dictati a pluribus etiam servantur.

Autographum pariter ejusdem Eminentissimi Cardinalis opus cum hac inscriptione: *Responsa Theologica Eminentissimi Domini Cardinalis S.Clementis super Quaestionibus de rebus Sinicis*, in eadem Sabinensi Bibliotheca servabatur; verum illud inde extraxit feliciter regnans S. P. Benedictus XIV. & in Vaticana servatum voluit; Exstat tamen ejusdem operis adcurate, sincereque transcriptum exemplar: exstat quoque aliud exemplar in Celeberrima Casanattensi Bibliotheca S.Mariae super Minervam inter Codices Manuscriptos, ut mihi notum fecit ejusdem Bibliothecae dignissimus Custos P.M.F.Johannes-Dominicus Agnani mihi summa necessitudine junctus. Quae autem in Causa Constitutionis *Unigenitus* Apostolico mandato scripserat, Clemens XI. apud se reservanda curavit, & in Vaticana Bibliotheca dubio procul nunc custodita servantur.

II.

F. Ambrosius de Cordova (a Toppio *Cordua*, ab aliis *de Corduba* dictus, ut N. Echardus scribit, sed non recte, quum ejus autographa subscriptio propriae professioni adjecta in vetusto Codice filiorum Conventus S.Spiritus sic habeat. *Ego F. Ambrosius de Cordova confirmo ut supra manu propria*) in Saeculo Garzias filius Petri Fernandez de Cordova, & Annae Osoriae, origine Hispanus, patria Parthenopaeus, genere nobilis, Praedicatorum habitum induit in laudato Conventu S. Spiritus de Neapoli die XIII. Decembris MDCXCII. ibique adfiliatus, atque ibidem pariter integro probationis anno expleto solemnem emisit professionem, quam etiam, juxta morem illius aetatis, in Conventu Sanitatis iterum emisit ad contestationem, nimirum, incardinationis factae novellae Congregationi, cujus princeps Conventus erat ille *Sanitatis*; idque ex decreto Cardinalis Alexandrini, de quo supra ubertim in Prolegomenis: licet brevi haec praxis bis profitendi durarit, ut ex eodem Codice bene colligi potest. Sacerdotio stato tempore inauguratus, studiisque Ordinis expletis, per omnes Scholae agones exercitatus, S.Theologiae Baccalaureus primum in Capitulo Generali Romae celebrato Anno MDCVIII. institutus, & in posteriori Parisiensi MDCXI. Magister fuit adprobatus. In Regia Neapolitana Studio-

diorum Univerſitate Sacram Theologiam docuit, & in Neapolitana Facultate pariter inter Magiſtros de numero participantium fuit adgregatus. Excellentiſſimo Duci de Alcalà Neapolitano Pro-Regi a Sacris, ejuſque conjugi Neapolitanae Pro-Reginae a Confeſſionibus fuit. Claruit autem inſignis Magiſter nedum ſingulari doctrina; verum etiam pietate magna, ac eximia Regulari obſervantia, quin etiam dexteritate non modica in rebus arduis pertractandis, & commendabili prudentia in Conventuum, ac Provinciarum, quibus praefuit, regimine. Fuit enim ſemel Prior Conventus Salernitani Provinciae Regni: tertium Prior ſui nativi Conventus S. Spiritus: bis Vicarius Generalis Congregationis ſuae Sanitatis, Prior Provincialis Provinciae Regni, pro qua etiam diffinivit in Capitulo generali Oliſipponenſi MDCXVIII. Prior Provincialis Calabriae, & etiam electus Prior Provincialis Trinacriae, ut in eodem vetuſto Codice S. Spiritus *pag.* 2. Ad Tropejenſes exinde Inſulas nominatus a Catholico Rege Philippo IV. & ab Urbano VIII. confirmatus conſecrationem Romae accepit die xx. Junii MDCXXXIII. „ Suaque Eccleſia „ (ut N. Echardus concludit) „ boni Paſtoris inſtar ſtrenue admini„ ſtrata evolavit ad Superos ix. Auguſti MDCXXXVIII.„ Parentalia in ejus funere magnifice perſoluta fuerunt in nativo ejus Conventu S. Spiritus, in ejuſque laudem orationem habuit inſignis quidem Orator e Societate Jesu, cujus tamen nomen in laudato Codice S. Spiritus reticetur. Ex adnotatis autem in eodem Codice, & ex Toppio poſt pauca laudando, edidit translationem Souſae *de Auctoritate Romani Pontificis*. Verum num impreſſum, & ubinam? an vero ubi M.S. ſervetur tale opus? in praelaudato Codice non adnotatur. Edidit decreta Synodi Tropejenſis Ann. MDCXXXVI. Romae apud Ludovicum Grignano MDCXXVII. Ejus acta, & doctrinam commendant Ferdinandus Ughellius (*a*), Nicolaus Toppius (*b*), & ex NN. Theodorus Valle, (*c*) Vincentius Fontana (*d*), Jacobus Echard (*e*), Johannes Michaël Cavalerius (*f*), Antoninus Bremondt (*g*), aliique.

T 2 F. Ti-

(a) *Ughellius* Italia Sacra Tom. IX.
(b) *Toppius* Biblioteca Napoletana.
(c) *Vallius* Huomin. illuſtr. della Provincia del Regno.
(d) *Fontana* Theatr. Dominicanum pag. 314.
(e) *Cavalerius* Galleria Dominicana Tom. I.
(f) *Echard* Script. Ord. Praedic. T. II.
(g) *Bremondt* Bullar. Ord. Praedic. Tom. VI.

III.

F. Timotheus Casellius Guardiae Sanfram undi in Provincia Terrae laboris, sive in Campania, natus, sub initium nostra Congregationis habitu Clericali indutus in Conventu S. Mariae Sanitatis die 11. Februarii MDLXXXV. & eadem die Deiparae Virgini sacra sequenti anno ad professionem admissus, quantum in litteris profecerit, quove devotionis ardore vota sua Domino reddiderit, & Regularem exactam disciplinam servaverit, locupletissimi testis loco adsunt Episcopales Infulae ea de caussa eidem conlatae; displicetque nimium, aut Fratrum incuria, aut temporum injuria, ut adsolet, deesse impraesentiarum vetusta ea monumenta, ex quibus facile foret ejus acta distincte percensere. Dumtaxat de eo possum certa depromere, nimirum, quod, quum esset a Confessionibus, ac Theologicis Consiliis D. Francisco de Castro Hispaniarum Magnati, illo Romam misso Regio Oratore pro Philippo IV. ad Paulum V. R. P. atque apud eundem Hierarcham commendante virtutem, ac scientiam nostri F. Thimothei, qui pariter notus erat Urbi, & Regno, ad Marsicanam Ecclesiam sub Metropolitica Salernitana constitutam regendam fuit adsumtus die 11. Julii MDCXIV. In Episcopatu, quam servaverat in Ordine Regularem vitam, exactissime custodivit, & non sine magno probitatis exemplo, nec sine singulari zelo, commendabilique constantia xxv. solidis annis Dioecesim suam rexit, immortali etiam post funus sibi nomine comparato. Nec quidem eo in munere sui Conventus oblitus, qui tenerrimo erga suam Religionem detinebatur amore, quantum fas ei fuit, ditandum illum decorandumque curavit. Eodem namque Regio Oratore supplicante, ac indulgente laudato Romano Pontifice, extracta e catacumbis Romanis corpora SS. Martyrum Anteri Papae, Cyriaci, Fortunati, Liberati, Arthemii, Almachii, Timothei, Hippolyti, Viti, nec non Eugeniae, Messalinae, Cyrillae, Venantiae, & Benedictae Virginum, ac Martyrum Neapolim detulit, suo Conventui donavit, eisdem repositis in sarcophagis marmoreis sub altaribus e marmore quoque compactis, in vetusta S. Mariae Sanitatis Ecclesia, seu crypta. Thesaurum quoque vulgo dictum, seu Kimelarchion ad reponendas eorundem Martyrum statuas capite argenteo decoratas, aliasque reliquias, a fundamentis erectum ad latus Sacri-

criſtiae optimis variegatis marmoribus incruſtavit ornavitque, marmoreo quoque altari in medio erecto ad celebrantium commoditatem, & vario ex momento ibidem Sacra facientium opportunitatem. Viam univerſae carnis ingreſſus eſt die XXIII. Novembris Anno MDCXXXIX. & in ſua Cathedrali Eccleſia tumulatus.

Ad perennem autem tanti viri memoriam, & perpetuum praeſtiti ab eo beneficii monimentum PP. S. Mariae Sanitatis in eodem Kimeliarchio, in marmoreo lapide inſculptum, ſequens elogium adpoſuerunt.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dom.
F. Timothaeus Caſellius Ep. Marſic. Ord. Praed.
Genere, pietate, & litteris praeclarus
Tribus olim votis
Hic ſub Deiparae vexillo militans
Hoc ſacro bello tribus infenſis hoſtibus
Victoriae ſpe non irritae indicto
SS. Reliquiis Roma aſportatis
Obedientiae Martyres, caſtitatis Virgines
Paupertatis theſaurum aedemque iſtam
Aere proprio, ac Thomae ex fratre nepotis
U. J. D. munificentia conſtructum
Prò triumphalibus inſignibus dicavit
PP. S. Mariae Sanitatis
Beneficiis, & Religionis
Perpetua poſteris monum. PP.
An. Dom. MDC.XXXIII.

Adeſt pariter in eodem Sacrario, ſive Kimeliarchio ejus effigies ad vivum in tela depicta, aliudque epitaphium ad perennem ejus gloriam in marmore inſculptum

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Fratri Timothaeo Caſellio Ord. Praedicator. natalibus, pietate, ac litteris praeclaro, A Paulo V. Sanctiſſ. Pontif. ex hoc coenobio ad Eccleſiae Marſicenſis regimen evecto, Majora etiam promerito, in Praeſulatu Regularis inſtituti tenaciſſimo, ſuae Religionis amantiſſimo. Qui ut ſponſae merito, & Matris debito ſatisfaceret, uni ſe vivum, alteri ſe mortuum, hoc

in

in conditorio cum suis e famil. aequo gratoque animo edixit. PP. S. Mariae Sanitatis C. A. M. PP. Ann. Dom. MDCXXXIII.

A Canonicis pariter, atque a Clero suae Ecclesiae sequenti elogio fuit decoratus post funus, quo pariter successoris F. Josephi Ciantes ex Ordine nostro itidem adsumti commendatur memoria; utque haec perennaret, in marmoreo lapide fuit encomium incisum

D. O. M.
F. Timothaeo Casellio S. T. M. Ord. Praed.
Et F. Josepho Ciantes S. T. M. ejusdem Ord.
Episcopis Marsicen.
De Ecclesia benemer.
Ille Episcopalia munia fructusque auxit
Iste hoc Templum amplificavit
Jura, & jurisdictionem in hac Dioecesi
Longo tempore occupatam acerrime Romae defendit
Ac in pristinum restituit.
Pius, & prudens uterque
Canonici, & Cler. M. P. G. A. G.
Anno Dom. M. D. C. XL. VIII.

De N. Timotheo agunt Ferdinandus Ughellius (*a*), & NN. Theodorus Valle (*b*), Vincentius Fontana (*c*), Johannes-Michaël Cavalieri (*d*), Antoninus Bremondt (*e*), Jacobus Echard (*f*) aliique, quos consulat, qui plura de eo exoptat testimonia Scriptorum.

IV.

F. Ambrosius Palomba Neapolitanus Timothei Casellii contemporaneus, & in Novitiatu socius, in ipsomet nostrae Congregationis exordio Anno, nimirum, MDLXXXVI. habitu Clericali indutus, ita in litteris, & moribus profecit, ut idoneum se praestiterit; qui, juxta Apostolum, tanquam Aaron vocatus, repertusque pudicus, sobrius, Doctor, sine ullo crimine,

(a) *Ughellius* Italia Sacr. Tom. VIII. T. 1. p. 585.

(b) *Vallius* Huom. illustr. della Prov. del Regn.

(c) *Fontana* Sacr. Theatr. Dominic. p. 126.

(d) *Cavalerius* Galleria Domenic.

(e) *Bremondt* Appendic. ad Tom. V. Bullarii.

(f) *Echardus* Script. Ord. Praedic. Tom. II.

ne, perfectus, & undequaque inreprehenſibilis a SS. Pontifice Paulo V. nullo humano favore, ſed propria noſtri viri virtute permoto, die XVI. Februarii MDCXVIII. fuerit delectus Epiſcopus Veſtanus in Provincia Dauniae (vulgo *Capitanata*) Archiepiſcopo Sipontino unicus ſuffraganeus. Eccleſiam ſibi concreditam XXIII. annis ſanctiſſime rexit, & ſeptuagenarius obdormivit in Domino Anno MDCXLI. De eo cum pertractent nuper laudati Ughellius, Vallius, Cavalerius, Bremondtus, & Echardus, ſatis eſt dumtaxat, quod de eodem teſtimonium protulit N. Vincentius Fontana (a), ad tanti viri virtutem magnificandam. „ P.F. „ Ambroſius Palumba Neapolitanus ex Congregatione Sanitatis, ejuſdem Conventus alumnus, vir pietate, vitae integritate, morum candore, zelo Eccleſiaſticae diſciplinae, ſacrarumque litterarum peritia per omnia laudabilis, a Paulo V. Religioſorum Ordinum, virtuoſorumque amatore Veſtanus „ Epiſcopus deligitur die 16. Februarii anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo, qui viginti tribus annis commiſſum „ ſibi Clerum, & gregem integerrime regens, per ſalutis ſemitam verbo, atque exemplo inceſſanter dirigere non deſtitit, „ chorum frequentando, viduarum, pupillorum, atque pauperum partes ſuſcipiendo. Tandem, carnis onere depoſito, ad „ optatum ſalutis bravium properavit Anno 1641. „

V.

F. Johannes Baptiſta Faleſius Neapoli natus, & inter educandos cooptatus Clericali habitu devotionis cauſſa indutus die XIV. Januarii MDCI. aetatis ſuae anno XIII. tacite profeſſus die XII. Auguſti MDCIII. & ſolemniter per vota Religionis Deo dicatus die X. Auguſti MDCIII. ut habetur in vetuſto primaevo Codice Novitiatus S. M. Sanitatis, tanta pietate enituit, modeſtia, ac ſimplicitate tali, ut verus cenſeretur Iſraëlita, in quo dolum non erat adinvenire: tantaque pariter doctrina enituit, ut poſt regimen Conventus ſui S. Maria Sanitatis, cui in munere Prioris ſancte praefuit, nominante Philippo IV. Hiſpaniarum Monarcha ad Morulenſem Eccleſiam in Provincia Hydruntina, ac ſub Tarentina Metropolitica conſtitutam fuerit evectus ab Urbano VIII. P. M. die XV. Januarii MDCXXXVIII. „ In qua di- „ gni-

(a) *Fontana* Sacr. Theatr. Dominic. pag. 321.

,, gnitate constitutus (ut N. Fontana subdit (a)) ipse omnem
,, adhibuit operam, ut gregem sibi commissum ad rectam vi-
,, vendi normam reduceret, ad quam ejus vitae probitas eum
,, impellebat. In maxima fuit aestimatione apud cunctos Nea-
,, politanos Principes, Proceres, Regiosque Ministros, quos er-
,, ga S. Patrem Dominicum devotione inflammavit, itaut il-
,, lum in totius Regni tutelarem delegerint, quod & Apostolica
,, authoritate Urbani VIII. primò, Alexandri VII. deinde fuit
,, constabilitum. Tandem cum bonum certamen certasset, cur-
,, sum consummasset, fidem servasset, repositam sibi coronam
,, a justo judice percepturus obdormivit in Domino decimo sui
,, regiminis anno, qui fuit a Virginis partu MDCXLVIII. ,,
De eo pariter agunt Ferdinandus Ughellius,& ceteri nuper laudati scriptores, extatque in nostris Necrologiis inlustris de eo memoria.

VI.

F. Ignatius Fiume natus in terra S. Anthimi Dioeceseos Aversanae in Campania, ad Ordinem, & Clericalem statum receptus in Conventu S. M. Sanitatis die VIII. Februarii MDCXXXVI. & quidem pro Conventu SS. Rosarii Caesarum, cui fuit adfiliatus, esto die XV. Decembris MDCXLI. Apostolica dispensatione praevia fuerit capitulariter adceptatus in filium Conventus S. Mariae Sanitatis de Neapoli, litteris, & moribus viam sibi ad Presbyteratus Ordinem stravit. Regularis observantiae custos, cellam frequentare, ibidemque solitarius sedere ad sui, ac populorum aedificationem volupe habuit, & consuetum. Studiis vero addictus, & singularem eruditionem sibi comparavit, & discipulos ad nobiliorem statum promovit, tantaque gloria, ut per omnes scholae agones promerita sibi laurea magistrali inter Theologos sui temporis primorem non immeriro sibi vindicaverit locum; praesertim quia studio Polemicae Theologiae addictus, nobiliori enituit doctrina: quare Fidei Controversias nobiliter expendit, in eisque praeceteris erudivit F. Thomam Hovvard Anglum (qui postea fuit S. R. E. Cardinalis) quem discipulum habuit in Conventu S. Mariae Sanitatis, dum ibi Regentis munus obiret, seorsim eundem in Polemicis erudiens: quare nimium eidem profuit, qui propterea deinde ei extitit gra-

(a) *Fontana* Sac. Theatr. Dominic. pag. 242.

gratus, ut post pauca dicetur. Ut vero suae professionis debito satius faceret, Apostolicum concionandi munus Theologicis exercitationibus copulandum curavit, adsociatusque Cll. Ecclesiasticis, ac insignibus Divini Verbi praeconibus F. Andreae a S.Severino, & F.Thomae Manzo, per vias, & plateas Urbis Neapolitanae, per oppida, & pagos Dioeceseos, aliaque Regni loca catecheses, & conciones ad populum habere non destitit, atque fideles ad poenitentiam adductos sacra exomologesi expiare solemne habuit, aliaque id genus munia obire. Insignis quoque in regimine, ulterius suae virtutis radios effudit. Ex obedientia namque praefectus Sanctimonialibus nostri Ordinis S.Catharinae Senensis, ac SS. Petri, & Sebastiani; & praepositus Religiosis suae Congregationis, praesertim in munere Vicarii Generalis, Regularem, quam semper fovit, observantiam, promovit, omnesque in spiritu caritatis sancte direxit. Et, ut etiam Nicolaus Coletus infra laudandus adnotavit, fuit *Provincialis Samniticae Reformationis*, idest Provinciae Aprutinae. Tanti igitur viri tot meritis praeclari, suique, dum in minoribus esset, Magistri memor laudatus Thomas Hovvard, ad purpuram evectus, ut illius meritum coronaret, eum ad Infulas promovendum curavit, obtinuitque ab Innocentio XI. R.P. ut Episcopali dignitate inlustraretur: cumque tunc sola Polymnianensis Ecclesia suffraganea Barensi Archiepiscopatui suo esset viduata Pastore, hanc nostro Ignatio desponsandam decrevit. Annum igitur agens LX. die xxiii. Junii MDCLXXXI. in Ecclesia de Ara-Coeli a Cardinale Pio fuit solemniter inauguratus.

In Episcopali dignitate constitutus Regularem observantiam exacte conservavit, & si in aliquibus levibus caussa aetatis, & muneris, secum dispensavit, ex licentia tamen Magistri Ordinis id egit, plene servata obedientia, & reverentia supremo Vertici suae Religionis; tantamque erga suum Ordinem reverentiam, & adfectionem animo fovit, ut dum bis solum urgente caussa Neapolim ei fuit declinandum, non quidem ad suos sanguine junctos divertit, in eorum domo commoraturus, sed ad suum Conventum S. Mariae Sanitatis, ut cum suis Fratribus in communi viveret, qui erga eos avitum servabat amorem. In sui muneris exercitio vigilem se praestitit, tantaque caritate pauperibus subvenire studuit, ut pauperie adfligente suos ex lue

in Apulia, Converſani infectione graſſante Anno MDCXCI. omnem pecuniam in eorum alimoniam erogaverit, divendita inſuper tota ſua ſupellectili ad ſubveniendum egenis, quibus ut etiam ſpiritualiter prodeſſet,ab eiſque Dei furorem averteret, ſeria praedicatione eos ad poenitentiam excitavit, eorum confeſſiones excepit, Sacramenta miniſtravit, jejuniis necnon macerationibus, etiam ferreis flagris, ſe ipſum in ſenili aetate adflixit; & quam adceptae Deo fuerint tanti Praeſulis preces, & hoſtiae, ex eo conſpicuum fuit, quia puerulis innocentibus conſpicuum ſe reddidit S. Vitus illius Urbis Patronus apud Dominum intercedens, & ſigno Crucis benedictionem Civitati impertiens, quare omne flagellum evanuit.

Eccleſiae ſuae ſponſae decorem zelatus „ Trabes, quae ve„ tuſto quidem more ſine ullo ornatu aedem principem operie„ bant, ſuperadditis quibusdam laevigatis tabulis, abdidit, „ & concamerato veluti opere induſtrii penicilli beneficio ele„ gantiam nitoremque eidem aedi prius ſquallidae comparavit. „ Sex vaſa argentea pro Sacello SS. MM. Viti, Modeſti, & Cre„ ſcentiae conflari curavit. „ ut Coletus adnotavit. Utque ſuo Conventui grati animi ſui monimentum, ac perpetuum dilectionis pignus relinqueret, vetuſtae Imagini S. Mariae Sanitatis in pariete antiquiſſimae Cryptae coloribus, ac penicillo depictae, variiſque miraculis clarae,magni ponderis,optimaequae ſtructurae argenteam lampadem donavit: in principio ſcalarum, per quas ad laudatam Cryptam deſcenditur, ferreos cancellos affabre elaboratos, ac aere cyprio diſtinctos, cum eleganti pariſtidia mamorea, ſuo aere efformandos mandavit. Utque latius erumperet caritatis ſuae flamma etiam Conventui Fratrum Minorum Reformatorum S.Anthimi eleemoſynam centum ducatorum erogavit. Annum agens LXXIII.Neapolim ex cauſſa perrecturus, non ſine lacrymis filiorum, fere praeſagientium optimi Paſtoris jacturam, illiuſque extra Dioeceſim obitum, quem propterea non forent amplius viſuri, ad ſuum Conventum declinavit, ibique apoplexia correptus, ut optabat, in nidulo ſuo mortuus non ſine dolore Fratrum ſuorum die XXIV. Maji Anno partae ſalutis MDCXCIV. & in communi Coemeterio fuit ſepultus.

Sui ingenii monimenta reliquit, eaque ſummopere ab eruditis commendata, ad Polemicam Theologiam ſpectantia, ac

Nea-

Neapolitanis Typis commiſſa, & IV. Tomis fol. diſtincta, quibus titulus eſt: *Schola veritatis adverſus mendacia Lutheri, Calvini, & Proteſtantium erecta*.

T. I. agit *de Deo ejuſque perſonis, & attributis, & de Servatore noſtro Jesu Chriſto*.

T. II. *de Eccleſia, & ſummo Pontifice*.

T. III. *de Verbo Dei ſcripto, tradito, & de Conciliis*. Additis ad calcem duabus conſiderationibus, prima ad Regem Angliae, altera ad Ducem Saxoniae.

T. IV. in Epiſcopatu editus *de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Sacrificio Miſſae, & communione ſub utraque ſpecie*.

Ejus cum laude meminerunt Johannes-Michaël Cavalerius (*a*), Jacobus Echard (*b*), Dominicus Ponſi (*c*), Antoninus Bremondt (*d*), Pompejus Sarnelli Epiſcopus Vigilienſis (*e*), & noviſſime Nicolaus Coletus Venetus Presbyter Eccleſiae S. Moyſis. (*f*)

VII.

F. Raphaël Philamundus Neapoli ortus, & a pueritia Deum timere, litterarum ſtudiis, ac devotioni operam navare conſuetus, ad Praedicatorum Ordinem, ut Deo exactius inſerviret, ac ſtudia litterarum adtentius coleret, in ipſa ſua pueritia convolavit; fuitque in Conventu S. Mariae Sanitatis de Neapoli ad habitum, & probationis annum admiſſus die xxx. Januarii Anno partae ſalutis MDCLXV. atque inter filios Conventus S. Mariae Sanitatis, ſeu SS. Roſarii Barrae adſcriptus, quamvis in maturiori aetate ob ſingularem ſui pietatem, ac eruditionem a PP. Conventus S. Mariae Sanitatis fuerit capitulariter eidem Conventui adfiliatus, & quod plane rarum eſt, communi omnium calculo, & nemine penitus diſcrepante. Emiſſa profeſſione ad virtutis, & litteraturae metam pervolare ſtuduit, atque aetate creſcens, in ſtudiis, ac devotione nimium profecit; nec ſolum Philoſophicis, ac Theologicis ſtudiis incubuit, verum, & po-

(a) *Cavalerius* Galleria Domenicana T. I. p. *663*.

(b) *Echardus* T. II. Script. Ordin. pag. *736*.

(c) *Ponſi* Vita del General Cloche.

(d) *Bremondt* Bullar. Ord. ubi ſup.

(e) *Sarnelli* Epiſt. Eccleſ. T. I. Epiſt. I.

(f) *Coletus* additione ad Ughell. Ital. Sacr. edit. Venet. 1721.

litiori Latinitati, Rhetoricae, Poësi, ceterisque eruditis lucubrationibus: heinc vel in ipsa immatura aetate Panegyricas Orationes, & Conciones, etiam Quadragesimales, summa cum laude habuit, nedum in primoribus Urbis nostrae Ecclesiis, verum & in insigniotibus Italiae Templis, Messanae, Panormi, Romae, &c. Neque a Missionibus abstinens, qui Dei amore, & animarum salutis zelo fervebat, per plateas Urbis nostrae, vicos, & compita, per pagos Dioeceseos, aliasque Regni Urbes verbum Dei cum fervore praedicavit; utque Apostolicum munus expleret, ab excipiendis fidelium confessionibus haud destitit: quare verbo, & exemplo profuit multis. Scholis pariter addictus ad discipulorum profectum omnes intendit nervos, & curriculo lectionum expleto per omnes scholae gradus ad Magisterii lauream pervenit. Regularis observantiae rigidissimus cultor, silentii, ac solitudinis amator e propria cella rarius exibat, ut orationi, ac studio litterarum intentus, veri Dominicani partes expleret. Paupertatis custos nil habuit superfluum, & ex proventibus suorum laborum Bibliothecam S. Mariae Sanitatis de Neapoli selectis libris, ejusdemque Ecclesiam thecis ex Ebeno, & argento confectis, sacrisque reliquiis ornatis, ditavit decoravitque. Obedientiam demisse nimium coluit. Humilitatis vero ita tenax, ut nonnisi ex obedientiae praecepto adceptarit munus Rectoris in Collegio Montis Dei, & Prioris S. Mariae Sanitatis de Neapoli, & utrobique sanctiorem disciplinam sartam tectam custodivit. Dum Neapoli Examinatoris Synodalis munus sub Eminentissimo Cardinale Cantelmo Neapolitano Archiepiscopo gloriose obiret, aliisque inlustribus exercitationibus incumberet, Romam adcersitus a fel. rec. F. Antonino Cloche M. Ordinis custos Bibliothecae Casanattensis fuit institutus, in eoque munere ejus doctrina apprime nota tunc Regnanti R. P. Clementi XI. primum Apostolici Palatii Catechista ab eo fuit electus, deinde declaratus Consultor Sacrae Congregationis, *Indicis* dictae: tandem ad Suessanam in Campania Ecclesiam fuit electus; & quamvis ipse refugeret onus simul, & honorem, lacrymisque perfusus coram Rom. Pontifice propriam imbecillitatem, atque inhabilitatem exponens supplex oraret, ut in nidulo suo mori eum sineret, ad Infulas easdem adceptandas supremo jussu obstrictus, die XIV. Decembris Anni Domini MDCCV. fuit solemniter inau-

gu-

guratus, non ſine ſui moerore quidem, at non ſine Urbis laetitia de tanto viro ad Epiſcopatum evecto, quod vel ex eo conligere eſt, quia recolendae memoriae Cardinalis Ferrari ſupra laudatus ad ſuos Fratres Neapoli in Congregatione Sanitatis degentes ſcribens, & de illius adſumtione verbum faciens, inquit: *Felix Sueſſana Eccleſia, quae talem, ac tantum meruit habere Paſtorem.*

Epiſcopus inauguratus, ſtatim, ac licuit, ad ſuam Dioeceſim petrexit, ibique boni Paſtoris munus obiens, haud oblitus priſtinae avitaeque ſemper ſervatae Regularis diſciplinae, abſtinentia, caritate, modeſtia, ceteriſque virtutibus Clero, & Populo praeluxit: in procuranda ſui gregis ſalute ſedulus, in concionibus aſſiduus, in Religionis actibus devotiſſimus fuit. Sacrum viaticum dum ad infirmos deferretur, vel Parochum deferentem, populumque proceſſionaliter praecedentem, ſumma devotione comitabatur, vel etiam ipſe illud deferens, poſt ſacrum epulum ſtipem quoque in caritatis augmentum pauperibus erogabat: quo factum eſt, quod, cum epidemica febre aeſtivo tempore Sueſſae graſſante ſibi non parceret, nec ſibi cautus adſiſteret infirmis, contracto morbo ad finem dierum ſuorum, coronam laborum percepturus in Coelis, pervenerit eximius Paſtor. Sacroſanctis igitur Eccleſiae myſteriis rite ſanctèque expiatus, pretioſa morte innocuam vitam coronavit, & lugentibus Laïcis,conlacrymante Clero,Urbe tota,ac Dioeceſi ſua moerente, laetus ipſe exivit e mundo die xv. Auguſti triumpho Virginis, cujus devotiſſimus erat, ſacro atque ſolemni, Anno reparatae ſalutis MDCCVI.

Tanti viri gloriam cum plures eruditi commendaverint, praeſertim Dominicus Ponſi (*a*), Hyacinthus Amat de Graveſon (*b*), & Antoninus Bremontd(*c*), aliique, praeſertim noviſſime Nicolaus Coletus in continuatione Ughellii (*d*), Satis autem ſuperque cenſeo fore, ſi ad ejus commendationem tranſcribam, quod de eodem memoriae prodidit Cl. N. Jaco bus Echardus, qui ita ejus doctrinam, & ſcripta laudavit: „ (*e*) F. Raphaël Maria „ Fi-

(a) *Ponſi* Vita del General Cloche.

(b) *Graveſon* Tom. X. Hiſt. Eccleſ. Tab. Chronolog. Sec. XVII.

(c) *Bremondt* T.VI. Bullar. Ordin. Praedic.

(d) *Coletus* Tom. VI. Italia Sacr. *Ughellii colum.*547.

(e) *Echardus ubi ſup.* Script. Ord. Tom. II.

„ Filamondo Neapoli natus, & in Conventu S. Mariae *della Sanità* adolescens Ordinem amplexatus, non solum sacra doctrina enituit, quam pluribus annis apud suos professus est per omnes scholae agones lauream promeritus, sed & Musas amoeniores coluit, earumque contubernium Theologum non dedecere probavit. Post plura in eo genere, quibus insignem sibi famam comparavit, Romam a Magistro Ordinis F. Antonino Cloche accitus est, & unus ex duobus Bibliothecae Casanatensis praefectis institutus, ac tandem ob egregias dotes a Clemente XI. ad Suessanam in Campania sub Capuana Ecclesiam evectus est Anno MDCCV. die XIV. Decembris. Vivebat etiamnum Anno MDCCXV. Ecclesiam suam veri Pastoris partes omnes sedulo adimplens; sed Anno MDCCXVI. abierat ad superos. Ejus opera mihi cognita.

„ 1. *Theo-Rhetoricae idea ex divinis Scripturis, & politioris litteraturae mystagogis deducta. Duobus tomis comprehensa, Christianis Oratoribus ad imitandam proposita*. Neapoli Typis recens fusis Michaëlis-Aloysii Mutii 1700. in 4. T. I. pp. 500. T. II. 424.

„ Ea praesertim ratione laudandum opus, quod exempla fere omnia, vel ex sacra Scriptura, vel ex SS. PP. proferat. Extat Parisiis apud nostros SanJacobaeos.

„ 2. *Il genio bellicoso di Napoli. Memorie Historiche di alcuni capitani celebri Napoletani, c'han militato per la Fede, per lo Rè, per la Patria nel Secolo corrente, abbellite con cinquanta sei ritratti intagliati in Rame*. Neapoli Dominici Antonii Parrini, & Michaëlis-Aloysii Mutii 1694. in fol. pp. 679. Extat Parisiis in Regia.

„ *Raguaglio del viaggio fatto da Padri dell' Ordine de Predicatori inviati dalla S. Congregatione de propaganda fide missionarii Apostolici nella Tartaria minore l'anno MDCLXXII. Aggiuntavi la nuova spedizione del P. M. F. Francesco Piscopo in Armenia, e Persia*. Neapoli Dominici Antonii Parrini, & Michaëlis Ludovici Mutii 1695. in 8. Extant singula Romae. F. Vincentio Cardinali de Ursino Archiepiscopo Beneventano opellam nuncupavit.

Verum sicut Cl. V. in Galliis scribenti, serius ac adcidit, emortualis dies nostri Episcopi Philamundi innotuit, ita alia

ejus

ejus opera, cum edita, tum MSS. haud innotuerunt, & ſunt.

L'Arca del teſtamento Panegirico alle glorie di S. Roſalia Vergine Palermitana Panormi 1639. Apud Cillenium Heſperium in 4. pp. 18.

Quae autem MSS. reliquit ſunt binae Rhetoricae breviores inſtitutiones, Sacra, nempe, & Profana, hiſce titulis diſtinctae.

I. *Mercurius Sacer*.

II. *Mercurius Civilis*.

Similiter Poëmata varia, pluresque Orationes Panegiricae. Servantur tamen in Archivo Sanitatis atuographa ejus opera ſequentia 1. *Quareſimale* 2. *Selva per prediche e panegirici*. Compoſuerat etiam, dum Romae degebat, novam Reformatam Proſodiam, ſed ad nos hoc opus non pervenit.

VIII.

Fr. Joſeph-Maria Poſitano Neapoli ortus ex inluſtri Poſitanorum Familia, qua litteris, qua togis ornata, & titulis, germanos fratres habuit jure merito commendandos, nimirum, Ducem D. Joſephum, Neapoli primum Conſiliarium S. Clarae, deinde Praeſidem Regiae Camerae Summariae, ſucceſſive Regentem Supremi Conlateralis Conſilii, tandem a Carolo VI. Romanorum Imperatore Viennam adcitum, & conſtitutum Supremi Conſilii Aulici pro Italia Senatorem, & Conſiliarium, ubi etiam nunc vivit eodem charactere inſignitus, virtutis exemplar, pietatis aeque, ac litteraturae decore conſpicuus: D. Bartholomaeum Regium pariter Conſiliarium S. Clarae, Marchionem Barinelli ab eodem Caeſare conſtitutum, ac Conſultorem Regii Capellani Majoris, qui in matrimonio conſortem habuit praeclariſſimam mulierem e Familia Stampa Mediolanenſe, ex eaque pariter nobilem prolem, cui praeſertim ſuae integritatis ſpecimen moriendo reliquit: D. Philippum Presbyterum Saecularem, primum Canonicum infulatum Neapolitanae Cathedralis Eccleſiae, deinde Epiſcopum Calvenſem, jam fato functum: & P. D. Bernardum Abbatem, & Viſitatorem Generalem Canonicorum Lateranenſium, qui pluribus oblatis infulis nuncium miſit. At noſter F. Joſeph germanis fratribus haud inferior pietate, ac litteris propriae familiae adjunxit decorem. Die namque XXVI. Septembris, cum adhuc Saecularis foret, & Antonius tunc dictus, cooptatus fuit inter filios Conventus S. Spiritus a

P.M.

P. M. F. Gregorio Areylza tunc Priore ejusdem Conventus (de quo III. Libro agetur) & paulo post habitu Clericali indutus in Conventu S. Mariae Sanitatis; expletoque Tyrocinio ab ipsa juvenili aetate suae ingenuae conversationis, ac litteraturae haud ignobilia praestitit monimenta. Servata namque jucunditate nimium adfabili, retentoque morum candore, necnon serietate doctrinae, in scholis per plures annos Philosophiam, ac Theologiam docuit, nedum in nostra Congregatione, sed etiam in Provincia S.Thomae de Apulia, ubi etiam Priorem egit in Conventu Andriensi. Similiter extra Ordinem in Canonica S. Petri ad Aram Neapoli Canonicos Lateranenses Theologiam docuit, pluribus e suis discipulis ab eo eruditis,& ad Doctoratus lauream perductis, qui postea in laudata Congregatione Lateranensium Scholas regere potuerunt. In Conventu nostro S.Mariae ab Arcu Castri Miani Prioris exercuit munus, ac in nobili SS.Petri, & Sebastiani Parthenone Sanctimonialibus a Confessionibus fuit. Dum autem ad ulteriora munera obeunda, & ad lauream, quam promeruerat in Ordine,jam promoveretur, a Carolo VI.Caesare nominatus fuit Episcopus Ecclesiae Acerranae in Campania,Neapolitanae Archiepiscopali suffraganeae, & adprobatus a Clemente XI. R.P. fuit illius Ecclesiae Episcopus inauguratus Anno MDCCXVII. Deinde, eodem Imperatore nominante, sub Innocentio XIII. R. P. fuit translatus ad Ecclesiam Archiepiscopalem Materanam, & Acheruntinam in Provincia Lucaniae; & tandem, eodem Caesare favente, sub Pontificatu Benedicti XIII.fuit delectus Archiepiscopus Salernitanus in Provincia Principatus Citerioris: verum ad eam regendam Ecclesiam non pervenit morte praeventus, quam tamen ipse laetus adspexit, nec sine pietatis signis, quibus commendabilem vitam coronavit, sui desiderio relicto cum gregi, quem rexit Materae,ubi diem clausit extremum die XVII. Februarii An. Salutis MDCCXX. tum Salernitano, qui avide nimis tantum suspirabat exspectabatque Pastorem. Alienus namque ab omni avaritiae specie, quinimmo summa pollens liberalitate, ita pauperes caritative excepit, profusaque stipe aluit eos, ut semper, & ubique pauperum pater fuerit adpellatus; erga utramque Ecclesiam sibi desponsatam suae Religionis, ac gratitudinis actus tanta generositate exercuit, ut supellectili pretiosa, aliisque ornamentis utramque ornare, ac di-

ditare non deſtiterit, ſibi parcus, ut Eccleſiae, & pauperibus prodeſſet: quare dum obiit tanta fuit pecuniae ſumma reperta, quanta foret ſatis ad iter peragendum e Matera uſque Salernum. Comitate maxima dotatus, ac docilitate eximia clarus, cunctis ita ſe amabilem reddidit, ut nullum a ſe triſtem dimiſerit; eoque ex momento timebat potius laedere, quam laedi. De eo agunt NN. Dominicus Ponſi (*a*), Jacobus Echardus (*b*), & Antoninus Bremondt. (*c*)

IX.

F. Vincentius Ferreri Neapolitanus, Praedicatoribus adſcitus in Conventu S. Mariae Sanitatis, & inter filios ejuſdem Conventus adnumeratus die I. Februarii MDLXXIII. primum Praedicator Generalis ſui nativi Conventus *Sanitatis*, deinde ſpeciali gratia Benedicti XIII. cui gratus erat, Magiſter ſupra numerum inſtitutus, pluribus in Ordine functus muneribus, nimirum, Prioris in Conventu Summae, S. Spiritus, ac S. Mariae Sanitatis de Neapoli, Monaſterii S. Annae de Nuceria Paganorum, & ſeptimum Beneventi, quo ex momento gratiam obtinuit laudati Benedicti XIII. a quo, dum Vicarius Generalis ſuae Congregationis eſſet, primum die XVII. Aprilis MDCCXXV. inſtitutus fuit Epiſcopus Gravinenſis ſub Materano Archiepiſcopo, deinde die XXX. Julii MDCCXXVII. translatus fuit ad Lucerinam Eccleſiam Beneventanae Suffraganeam, & ibidem exacto in Epiſcopali munere ſexennio, grandaevus exivit e Mundo Neapoli die IV. Octobris An. MDCCXXXIII. & in communi coemeterio Fratrum ſui Conventus S. Mariae Sanitatis fuit tumulatus. De eo agit Bremondt ſupra laudatus (*d*).

X.

F. Pius-Thomas Milante Parthenopaeus, honeſtis, ac revera piiſſimis parentibus ortus die XII. Augusti MDCLXXXIX. poſt exacta in Saeculo Grammaticae, Logices, Rhetoricae, ac U.J. ſtudia, hortante, ac vocationem ejus adprobante V. P. D. Antonio de Torres Congregationis Piorum Operariorum Praepoſito Generali, qui eidem a confeſſionibus erat, Anno aetatis ſuae

(a) *Domin. Ponſi* Vita del General Cloche p. VIII. p. 215. n. LII.

(b) *Echard* Script. Ord. pag. 21. Indic. Epiſcopor.

(c) *Bremondt* T. VI. Bullar. Ordin. Praed.

(d) *Bremondt* ibidem.

XV. vix expleto, die xxv. Novembris MDCCIV. in Conventu S. Mariae Sanitatis habitum Clericalem recepit per manus P. M. F. Thomae Maria de Baucio, seu *del Balzo*, tunc Vicarii Generalis (qui adhuc vivit hoc Anno MDCCXXXXV. Senex gloriosus Annos natus XCIV. qua natalium nobilitate, qua munerum in Ordine exercitorum gloria, qua observantia Regulati, ac pietate eximia clarus) pluribus licet antea diebus in Conventu S. Spiritus fuisset capitulariter inter alumnos illius domus adnumeratus. Elapso probationis anno ad professionem admissus vota sua Deo sacravit coram P. M. F. Theresio de Sio, viro pariter insigni (de quo post pauca agetur) tunc Vicario Generali, ac studiis Ordinis addictus omnia explevit consueta curricula, & in Collegio Montis Dei emenso jam septennio Scholasticae Theologiae die 11. Julii MDCCXIV. fuit Lectoratus honore insignitus. Philosophiam, ac Theologiam, necnon Theo-Rhetoricam docuit pluribus in locis, praesertim Beneventi, ubi carissimus fuit Benedicto XIII. R. P. qui tunc temporis illius Ecclesiae, & Archidioeceseos Archiepiscopus erat, ac propterea dum Anno MDCCXXV. Romae ad sacrorum illius pedum oscula proruit, ab eodem benigne complexatus, & erectus, tanta benignitate fuit exceptus, ut ei obtulerit favores insignes, data ei optione petendi ad sui lubitum quod vellet; esto cuncta recusaverit, qui nullam in Ordine, nullam in Ecclesia dignitatem desiderabat; habuitque eo in inferiori Lectoris gradu xi. solidis annis exerciti discipulos plures, cum Saeculares, tum alumnos Religiosos sui Ordinis, tum etiam Canonicos Regulares Salvatoris. Anno salutis MDCCXVIII. in Sacra Regia Neapolitana Facultate fuit laureatus Doctor, & Magister de numero Participantium, in qua etiam Decani munus exercuit. Jubilaei Anno MDCCXXV. ad examen pro gradibus Romae admissus a recolendae memoriae F. Augustino Pipia M. Ordinis, ac S. R. Ecclesiae Cardinale amplissimo, unanimi omnium Examinatorum calculo fuit adprobatus: deinde per omnes superiores scholasticos agones exercitatus Magisterii laurea fuit insignitus Anno MDCCXXXI. Post susceptam in Ordine lauream, admissus inter Antecessores Cl. Neapolitanae Regiae Studiorum Universitatis, primum Ordinarius, deinde etiam Primarius S. Theologiae Professor in Cathedra S. Thomae fuit institutus, idemque munus xii. annorum curriculo exercuit, donec

donec fuerit ad Epiſcopales Infulas delectus.

Qui autem Scholaſticis, ac Polemicis exercitationibus operam ſemper navavit, ab excipiendis fidelium Confeſſionibus, ab habendis catecheſibus, ac Miſſionibus per Urbem Neapolitanam, aliaſque Regni Urbes, necnon a recitandis Panegyricis Orationibus, habendiſque Quadrageſimalibus Concionibus ad Moniales, & ad Populum, etiam in inſignibus Urbis, & Regni Eccleſiis, non deſtitit. Pro reſtituenda ſua Congregatione ad primaevum ſtatum, diſſolvendaque Provincia ex utraque Congregatione, S. Mariae Sanitatis, nimirum, ac S. Marci Gavotorum compacta, nimium inſudavit; utque priſtina ſua pace laudata S. Mariae Sanitatis Congregatio potiretur, nec ſtudio, nec labori, nec induſtriae pepercit; obtento favorabili decreto a f. r. Clemente XII. (ut in Prolegomenis fuit adnotatum). Verum novo privilegio a laudato Clemente eidem Congregationi conceſſo de praeſentandis Magiſtro Ordinis tribus Religioſis a PP. Provinciae, ſeu S.Theologiae Magiſtris, ex quibus unus ab eodem M. Ordinis delectus inſtitueretur Vicarius Generalis, ut nuncius mitteretur, inſudavit, obtinuitque tandem ab eodem Clem. XII. aliud Breve, quo indultae primum gratiae derogaretur, ut ad priſtinum Congregationis ſuae ſtatum reſtitueretur illa, ſicut pridem ſub f. r. Clemente VIII. fuerat conſtituta.

A Magiſtro Ordinis F. Thoma Ripoll, cui adceptiſſimus fuit ex peculiari tanti Patris clementia erga obſequentiſſimum filium, & a quo fuit promotus ad omnes Ordinis gradus ſuperiores, nil ſciens, nil optans, inſtitutus fuit Vicarius Generalis ſuae Congregationis Anno MDCCXXXVII. & benigne etiam fuiſſet ab eodem M. Ordinis eo in munere confirmatus (ut per ſuam epiſtolam eidem obtulerat, votumque ſuum de praefata confirmatione aperuerat) ſed ne hoc onere gravaretur humillime, & enixe rogavit, praepeditus variis, laborioſiſque muneribus, atque oneribus in Urbe Neapolitana, videlicet Examinatoris Synodalis, ac Viſitatoris Neapolitanae Dioeceſeos, Librorum Cenſoris, atque Praefecti introductioni, & extractioni librorum, & Examinatoris Cleri Regio Capellano Majori ſubjecti, & Theologi Caroli Hiſpaniarum Infantis Utriuſque Siciliae Regis. Verum ab eodem Praeclariſſimo M. Ordinis, cui ſe nimium nimiumque obſtrictum ad cineres uſque profitetur, aliis fuit muneribus diſtinctus.

ctus. Institutus quippe fuit Commissarius adversus omnes Apostatas, fugitivos, aliosque effraenes Provinciarum omnium Ordinis Neapolim adventantes, cum plenaria facultate, ac potestate in eosdem exercenda; similiter institutus fuit Visitator Conventus S. Mariae Salutis de Neapoli Provinciae Utriusque Calabriae, Collegii S. Thomae Aquinatis pariter de Neapoli, & Monasterii Sanctimonialium S. Annae de Nuceria Paganorum.

Anno MDCCXLII. Aquilanas Infulas sibi oblatas repensis gratibus modeste recusavit. Tandem die IX. Maii MDCXLIII. a Carolo Hispaniarum Infante Utriusque Siciliae Rege nominatus fuit Episcopus Stabiensis (vulgo Castri Maris de Stabiis in Campania) & Regius Consiliarius, quod munus, ac onus, ne Divinae resisteret vocationi, ex obedientia adceptavit, & a Benedicto XIV. Maecenate Optimo in Consistorio habito die XV. Julii ejusdem Anni fuit praeconizatus, seu solemniter promotus, & confirmatus, ac sequenti die, etsi feriali, Deiparae de Monte Carmelo sacra, ex specialissima gratia ejusdem R. Pontificis in Superiori Oratorio S. Mariae super Minervam fuit inauguratus Episcopus a Cl. Viro Alphonso Evodio de Asseman Archiepiscopo Apamaearum.

Ejus opera publici juris facta sunt.

1. *Oratio extemporanea in electione Summi Pontificis Benedicti XIII.* Neapoli MDCCXXIV. Typis Felicis Mosca in 4. pp. 36.

2. *Theses Theologicae Dogmatico-Polemicae*. Neapoli Typis Francisci Ricciardo MDCCXXXIV. in 4. pp. 30.

3. *Exercitationes Dogmatico-Morales in Propositiones proscriptas ab Alexandro VII.* Neapoli MDCCXXXVIII. Typis Januarii, & Vincentii Mutio in 4. pp. 442.

4. *Exercitationes Dogmatico-Morales in propositiones proscriptas ab Innocentio XI.* Ibidem apud eosdem MDCCXXXIX. in 4. pp. 436.

5. *Exercitationes Dogmatico-Morales in Propositiones proscriptas ab Alexandro VIII.* ibidem apud eosdem Ann. MDCCXL. in 4. pp. 405.

6. *Vindiciae Regularium in Causa Monasticae paupertatis*, ibidem apud eosdem An. MDCCXL. in 4. pp. 273.

7. *Bibliotheca Sancta Xysti Senensis, Criticis, ac Theologicis animadversionibus, necnon duplici adjecto Sacrorum Scriptorum*

rum

rum elencho adaucta, *& inluſtrata*. Volumina duo fol. pp. 1186. apud eosdem An. MDCCX I.

8. *Epiſtola Paſtoralis ad Clerum*, *& Populum Stabienſem*. Romae Typis Pagliarini MDCCXLIII.

9. *De Viris inluſtribus Congregationis S. Mariae Sanitatis Libri tres*. in 4. Neapoli MDCCXLV. apud eosdem Januarium, & Vincentium Mutio.

Praelo parata habet ſequentia opera.

1. *De Sacroſanctis Eccleſiae Symbolis*.

2. *De Verbi Divini Incarnatione*, *ejuſque Converſatione in mundo*, *& triumpho per crucem*, *necnon de Parentibus ejus ſecundum carnem*.

Alia itidem innumera opera Polemica, ac Theologica MSS. ſervat. Praeterea Orationes hetruſco idiomate conſcriptas, ſicut Conciones Quadrageſimales, necnon Sermones varios, etiam Italico ſermone concinnatos. Plura itidem diverſi argumenti opera meditatur, quae, ſi Superis placet, aut typis edentur, aut fortaſſe ad lineam probabuntur.

Ejus cum laude meminerunt Johannes de Nicaſtro Epiſcopus Claudiopolitanus (*a*), Franciſcus Vargas Maciucca Eques Hieroſolymitanus (*b*), Joſeph Catalano, (*c*) N. Thomas Gundiſalvus Carrattinus (*d*), Scriptores Trivultini, Veneti, & Florentini (*e*), Cl. Paulus Matthias Doria Patritius Januenſis (*f*), Johannes-Bernardinus Tafuri (*g*), Hyacinthus Pizzolus Canonicus Barenſis (*h*), P. D. Ludovicus Sabbatino de Anfora Piorum Operariorum (*i*), & alii.

Quia vero ad maximam authoris, & operum ejus commendationem facit adprobatio Romani Pontificis, non taedet heic ad decorem eorundem, ſed praeſertim in grati animi obſequium, binas ad Authorem conſcriptas epiſtolas, unam, nimirum, nomine & mandato SS. Pontificis Benedicti XIV. qua probitate, qua doctrina

na

(a) *Nicaſtro* Pinacotheca Beneventana.

(b) *Vargas* Cauſa Regia.

(c) *Catalano* in notis ad epiſt. S. Hieronymi ad Nepotianum; ad Librum S. Johannis Chryſoſtomi de Sacerdotio, & in Pontific. Rom.

(d) *Carrattinus* Vita Clauſtralis.

(e) *Laudati Scriptores* in diariis, & notitiis litterariis.

(f) *Doria* Lettera e Ragionamenti familiari. P.II.

(g) *Tafuri* Storia letteraria del Regno di Napoli.

(h) *Pizzoli* Differtazion. Teologiche ſulla natura degli Angioli.

(i) *Sabbatinus* Calendario Napoletano Tom. I. p. 6.

na, qua dignitate ter Maximi, ad eum directam, & conscriptam ab ejus Capellano, alteram ab eodem Pontifice immediate conscriptam, forma, quidem ac modo, quibus Principibus primi nominis scribere consueverunt Supremi Ecclesiae Hierarchae, quod dumtaxat ad propalandam virtutem tanti Pontificis citra omnem authoris superbiam, quinimmo ad suimet humiliationem, adnotare libuit.

Prima igitur Epistola est sequentis tenoris in folio conscripta, ac exteriori etiam folio circumtecta, & sigillo Pontificii Capellani signata. Foris. -- *Al Reverendissimo Padre Signore Padrone Colendissimo il P. F. Pio Tomaso Milante dell'Ordine de' Predicatori -- Napoli.* Intus -- *Reverendissimo Padre Signore Padrone Colendissimo -- Sono state presentate alla Santità di Nostro Signore da Monsignor Galiani le due sue dottissime opere. E' stato particolare il gradimento, con cui Nostro Signore si è degnato di riceverle & accoglierle. Mi comanda perciò la Santità Sua di rendere, siccome faccio a V.P. Reverendissima, grazie ben singolari, e di significarle insieme il piacere, con cui egli in iscorrendole ammira il suo ben fondato sapere, e dottrina; & assicurandola di tutta la propensione in ogni congiuntura di suo vantaggio e giovamento, con pienezza di spirito le dà la sua Paterna Apostolica Benedizione. Tanto mi ordina N. Signore di significare a V. P. Reverendissima, & io nell'esseguire i supremi comandi di S. Santità mi dò l'onore di contestare a V. P. R. la mia ossequiosa servitù, e di protestarmi con tutto l' ossequio. Roma 27. Marzo 1741. -- Di Vostra Paternità Reverendissima -- Di Ordine di N. S. -- Divotissimo & obbligatissimo Servitor Ludovico di Costanzo Cameriero Secreto di S. S.*

Altera Epistola in folio pinnato aureo, ac superiori contecta folio, & signata sigillo parvo Summi Pontificis in cera hispanica rubri coloris impresso.

Foris -- *Dilecto Filio P. Pio Thomae Milante Ordinis S. Dominici -- Neapolim.* Intus -- *Benedictus PP. XIV. Dilecte Fili Salutem & Apostolicam Benedictionem. Il P. Commissario del S. Offizio ci ha presentato una sua lettera de' 28. d' Ottobre unitamente co i due esemplari del primo Tomo della Biblioteca di Sisto Senese, ch'ella ha avuta la bontà di dedicarci. Noi vivamente lo ringraziamo, e ci riconosciamo immeritevoli di quanto vien espresso nella dedica. Non lasciaremo certamente di vedere le aggiunte, e le note*

Cri-

Critiche, e Teologiche, che eſſendo parto della ſua penna ſaranno ſenza dubbio belle. L'opera di Siſto era reſa rara. L'Autore è ſtato un grand uomo, e però una riſtampa fatta con aggiunte, e note, e note tali, quali ſaranno le ſue, ſarà di onore alla Chieſa, alla Religione, ed all'Italia. Deſideriamo congiunture per farle vedere la noſtra riconoſcenza, ed abbracciandola le diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 16. *Novembris* 1742. *Pontificatus noſtri Anno Tertio.*

Quis autem, praeſertim in poſteriori Epiſtola, non demiratur SS. Pontificis humilitatem, clementiam, omnemque virtutem? D. O. M. ad Eccleſiae ſuae decorem ſoſpitem eum reddat per plurima luſtra.

XI.

F. Thomas de Avalos Neapoli Nobiliſſima familia ortus ex Patre Marchione Peſcarae die 11. Octobris MDCXXVI. in Conventu, & pro Conventu S. Mariae Sanitatis receptus ad habitum Clericalem, & ibidem ſolemniter profeſſus, jure merito ex noſtra Congregatione ad Infulas adſumtis eſt adnumerandus. Verum quia ſuam filiationem tranſtulit ad Collegium S. Thomae Aquinatis a ſuis erectum, immediate M. Ordinis ſubjectum, & dum ibidem moraretur, Lucerinus Epiſcopus fuit inauguratus, extra ſeriem conlocatur, nec ejus Acta percenſentur, quae tamen poſſunt conſuli apud ſaepius laudatos Ughellium, Cavalerium &c.

Addendus quoque heic foret P. M. F. Richardus Eano Onell Stuard, qui Armachanis Infulis ſibi oblatis nuncium miſit, ſed de eo agam in Appendice III. Libri.

XII.

F. Franciſcus Piſcopo Neapolitanus, annos natus quatuordecim, ac menſes quatuor, in Conventu S. Mariae Sanitatis ad habitum educationis cauſſa receptus die VII. Decembris Ann. MDCXXXIX., & ad probationem ſtato tempore admiſſus, adgregatus fuit filiis S. Mariae ab Arcu Caſtri Miani: verum in profeſſione incardinatus fuit Conventui S. Mariae Sanitatis de Neapoli. Studiis addictus ſuam explevit ſpartam, & jure optimo S. Theologiae Magiſter fuit inſtitutus. Ob ſingularem, quam coluit obſervantiam Sacrarum legum Ordinis, ac Conſuetudinum noſtrae Congregationis, electus fuit Prior S. Spiritus, ac S. Mariae Sanitatis in Metropoli Urbe, eiſdemque nimio zelo, ac

ob-

observantia praefuit; ac praeluxit. Dum Romae pro Conventu Sanitatis commoraretur, ejus virtute cognita ab Alexandro VII. R. P. institutus Praefectus Missionis in Tartaria Minori habenda, amplissima facultate, ac specialibus favoribus decoratus, adscitis sibi tribus ex eadem Congregatione nostra Sociis, nimirum F.Theresio de Sio, & F. Augustino Stanzione Sacerdotibus, ac F.Damaso Mamato Converso, alio itidem sibi adjuncto N.Ordinis Sacerdote Provinciae Poloniae, sed tunc in Collegio Montis Dei Studente, optimae indolis, ac devotae conversationis juvene, arduum adripuit iter, & invicta constantia inter agones & poenas Apostolicum munus apud Tartaros obivit. Fideles ibidem captivitate detentos solidavit in fide, Sacramentis communivit refecit adjuvit; schismaticos plures ad abjurationem erroris, atque ad unionem Ecclesiae, praestita obedientia Romano Pontifici unico visibili Supremo Ecclesiae Capiti, adduxit, multosque infideles sacro baptismate tinxit. Verum, dum laudatis operibus sedulo incumberet, ab apostata quodam, qui a Christiana fide defecerat, supremo Consilio una cum sociis denunciatus uti explorator & insidiator occultus, cum eisdem sociis catenis ligatus, & in carcerem conjectus, ergastuli squalore maceratus, plebis contumeliis lacessitus, injuriis confusus, ad necem usque petitus, atque post varia discrimina ferali sententia ad palum damnatus, haud facile est effari quot terroribus fuerit concussus, quot aerumnis adflictus, quotve devoraverit poenas; sed peculiari D.O.M. clementia fuit ereptus ex imminente saevoque tormento, cui etiam socii erant addicti: ceteris quoque a nece exemtis, sed sub tyrannide dominorum crudelium constitutis, ipse servus fuit effectus Magni Kami, cujus gratiam obtinuit ex oblatis ei sericis floribus affabre ab eo efformatis: heinc una cum suis co-Apostolis, ac Converso socio post biennium, ope ac intercessione Johannis-Casimiri Poloniae Regis, liber e Tartaria discessit. In Polonia una cum suis sodalibus magnis honoribus fuit decoratus ac distinctus ab Antonio Pignatello Neapolitano, ibidem tunc temporis Apostolicum Nuncium agente apud Poloniae Regem, deinde Romano Pontifice Innocentio XII. dicto, & non sine gratulatione ac reverentia exceptus a Poloniae Rege. Verum ceteris suis Civibus, ac Religiosis Fratribus Neapolim commigrantibus, ipse P. M. Piscopo ope Polonici Oratoris iterum in Tartariam

riam

riam reverſus, ut Chriſtifidelibus, ceteriſque omnibus Jeſu Servatoris ſanguine redemtis poſſet aliquo modo prodeſſe; ibique aliis toleratis agonibus, iterum fuit damnatus ad mortem; ſed iterum ope ac opera Chriſtianiſſimi Poloniae Regis e Tartaria exul diſceſſit. Novo autem gravatus onere novam ſubiit ſpartam: Apoſtolica namque authoritate in Armeniam Viſitator miſſus, Provinciam Armenicam ſui Ordinis luſtravit, direxitque; necnon ibidem conſtitutus Vicarius Generalis Archiepiſcopi Nexivanenſis, mira dexteritate atque prudentia demandatam ſibi curam explevit, ad obedientiam Romano Pontifici praeſtandam ad errorum ejerationem, atque ad veram poenitentiam ipſo quoque Armeniae ſchiſmatico Patriarcha adducto.

Romam veniens & benigne a Sacra Congregatione de propaganda fide exceptus, eidem ſtatum aperuit de Armeniae luſtratione, ac illius Eccleſia, ſicut & de miſſionis progreſſu in Tartaria Minori; cunctiſque itidem expletis, quae ex ſui debito aperire debebat, ad ſuum Sanctae Mariae Sanitatis de Neapoli Conventum declinavit, ubi a ſuis magna laetitia exceptus, atque cunctorum prae laetitia lacrymantium brachiis complexatus ad conſueta ſibi in Ordine pietatis, ac obſervantiae Regularis exercitia ſummo cum gaudio redivit. At non diu ea in pace quievit ad ulteriora incommoda ſubeunda directus a Deo. A Clemente IX. R. P. igitur in Perſidem miſſus ad illius gentis Regem cum munere, & facultate Apoſtolici Nuncii, ut, nimirum, ſic apud eundem Orator, Chriſtianis ibidem degentibus auxilio, & fidei dilatationi proficere poſſet; adſcitoque ſibi in Socium F. Raymundo de Paula (de quo ſupra eſt actum) eo libens ex obedientia perrexit. A Perſidis Rege benigne exceptus, ab eoque humaniſſime tractatus, atque muneribus ditatus, datis quoque ad Romanum Pontificem litteris, Romam fuit remiſſus cum munere, ac charactere Regis Perſarum Oratoris, regiis quoque inſignibus decoratus, turbinatis, nimirum, faſciis ad caput cooperiendum gemmis redimitis, & auro; baltheo ſimiliter ex ſerico, & auro argentoque contexto, ac acinaci praenobili, ad capulum praeſertim gemmis itidem ornato, ceteriſque pretioſis ornamentis diſtincto. In itinere per Germaniam tranſiens, ac Viennam

Austriae divertens, summo fuit honore exceptus a Leopoldo piissimo Caesare, & a Carolo Carafa ibidem apud Romanorum Regem, ac Occidentis Imperatorem Apostolicum Nuncium agente, qui deinde fuit S.R.E.Cardinalis, plurimisque fuit favoribus distinctus: in omnibus tamen hisce honoribus humilitatem in corde servans sibi despectus vixit, qui nonnisi Dei gloriam in suis operibus exquirebat. Bononiam aestivo tempore venit, & itineris incommodo, ac temporis calore agitatus in febrem incidit, statimque, ac ab ea fuit curatus, inde discedere statuit, ut quam citius Summi Pontificis, ejus adventum ad Urbem praestolantis, voluntati pareret; & quamvis Apostolicus Bononiensis Legatus ad ibidem protrahendas moras eum fuisset hortatus, saltem ad perfectam valetudinem usque, haud adquievit ex laudato nuper momento, sed mox, ut e lecto, ubi decumbebat, surrexit, Romam versus adripuit iter. Et quamvis debilis ex infirmitate, ex itinere laxus, incunctanter ad pedes Summi Pontificis Innocentii XI. pervolavit, ab eoque gratanter nimis exceptus, ad Minervitanum Conventum non sine publico honoris testimonio fuit remissus, ut inde iterum ad Aulam in forma Regii Oratoris, (sicut cum ceteris fieri consuevit) atque Persarum Regis vestibus, ejusque paludamento indutus in publico Consistorio exciperetur, publicis etiam honoribus decorandus. At dum terrenis reservatur honoribus, jam jam Cardinalitio itidem galero exornandus ex peracta Regia, ac Pontificia Legatione, ad aeterna gaudia perennesque honores vocatur a Deo. Iterum namque febre oppressus aestivo tempore mutationibus obnoxio, atque in Climate eo tempore Parthenopaeis praesertim, nimium adverso, properavit ad mortem, quam sacris mysteriis rite expiatus, magnaque devotione incensus, moerentibus cunctis, ipse solus laetus adspexit mense Julii Ann. MDCLXXVI. Ex donariis vestibusque pretiosis e Perside adsportatis plura fuerunt in suum nativum Conventum S. Mariae Sanitatis ab ejus Socio F. Raymundo de Paula delata praesertim turbinata fascia, ac baltheus pluresque adamantes auro insiti, ex quibus ornatum fuit ostensorium, seu sphaera ex auro optimo conflata ad reponendam Eucharistiam in publica expositione Venerabilis Sacramenti Altaris, quae in thesauro illius Conventus usque in hodiernam diem

diem ſervatur. Tanti viri non ſine laude meminerunt praecipue Noſtrates, F. Vincentius Maria Fontana (*a*), & Inluſtriſſimus Epiſcopus Sueſſanus F. Raphaël Philamundus, qui noviſſimus omnia ejus acta in peculiari edito libro (*b*) ſincere, & exacte deſcripſit.

XIII.

Poſtremus hic Paragraphus non unius quidem dignitate conſpicui viri acta, & dignitatem exhibet, ſed plurium certe virorum nomina, & munera complectitur, ut unus integerque ſyllabus eos omnes exhibeat, quorum acta ſingillatim expendi non poſſunt: praeſertim quum ii omnes, aut fere omnes ſint, qui etſi extra Congregationem, in Ordine tamen, peculiari dignitatis honore peculiarique munere functi, Congregationi noſtrae gloriam addiderunt: quare vel ſtrictim eos heic percenſere fas eſt, haud adtenta quidem chronotaxi in ſingulorum muneribus percenſendis, aut in ſerie eorundem, ſed potius dignitate illorum perpenſa, haud tamen exacta libra ſemper adhibita. Ut vero ſub unico adſpectu omnes propatuli ſint, & uno Albo deſcripti cuncti perſpiciantur, qui heic ad coronidem laudantur, eos etiam heic repetere operae pretium eſt, quos aut in priori, aut in poſtremo libro diſtinctius memoravi, haud tamen iterum indigitatis iis, qui hoc II. libro ex profeſſo laudantur, etiamſi ex nobiliori munere deſcribantur, ne moroſus nimium videar, qui adcuratius rem totam abſolvere conor. En igitur elenchum.

I. V. P. M. F. Marcus Maffei de Marthenißio Provincialis Regni, Viſitator, & Commiſſarius omnium Conventuum Provinciae Calabriae, Viſitator, & Vicarius Generalis Congregationis Aprutinae, Procurator Generalis Ordinis, & Apoſtolicus Viſitator Congregationis Eremitarum S. Auguſtini S. Johannis ad Carbonariam dictae, de quo I. Libro.

II. P. M. F. Dominicus Gravina Rector Neapolitani Collegii S. Thomae Aquinatis, Regens Collegii S. Thomae in Conventu S. Mariae ſuper Minervam in Urbe, Provincialis Provinciae Regni, Procurator, & Vicarius Generalis Ordinis, necnon Pro-Magiſter Apoſtolici Palatii, de quo III. Libro.

Y 2 III.

(*a*) *Fontana* Theatr. Dominican. *P.V. cap.3. ad Ann.1562.*

(*b*) *Philamundus* Raguaglio del viaggio fatto da PP. dell' Ord. de' Predicatori &c. *ſup. laudato*.

III. P. M. F. Ambrosius Pascha Provincialis Regni, de quo I. Libro.

IV. P. M. F. Dominicus Guglielmini Provincialis Regni, de quo III. Libro.

V. P. M. F. Cornelius Avitabile Provincialis Trinacriae, de quo I. Libro.

VI. P. M. F. Calixtus Tartaglione Provincialis S. Catharinae Senensis, seu Provinciae Aprutinae, de quo I. Libro.

VII. P. M. F. Philippus Arduino Provincialis utriusque Calabriae, Visitator, & Superintendens Provinciae S. Catharinae Senensis, de quo III. Libro.

VIII. P. M. F. Thomas Brancia Regens Collegii Minervitani de Urbe delectus Magister Apostolici Palatii, de quo III. Libro.

IX. P. M. F. Dominicus Scoppa Civitatis Massae Lubrensis, filius Conventus Neapolitani S. Mariae Sanitatis, Prior Provincialis utriusque Calabriae.

X. P. M. F. Gregorius Areylza Provincialis Terrae Sanctae, & Provinciae Regni, hujusque etiam Vicarius Provincialis, necnon Provincialis P. S. Thomae de Apulia, & Trinacriae, Apostolicus itidem Visitator utriusque Regni Siciliae, atque a Carolo II. Hispaniarum Rege nominatus, & delectus Episcopus Arianensis, de quo III. Libro.

XI. P. L. F. Januarius Grimaldi Neapolitanus, filius Neapolitani Conventus S.Mariae Sanitatis, post varias Conventuum nostrae Congregationis praefecturas Vicarius Generalis ejusdem Congregationis, ab Innocentio XII. R. P. Apostolico diplomate institutus Prior Provincialis S. Thomae de Apulia, cui tamen muneri, humilibus porrectis S. P. precibus, sponte cessit, & dum obiret munus Prioris Monasteriis SS. Petri, & Sebastiani in Urbe Neapoli An.MDCCVIII. obdormivit in pace vir maximae observantiae, prudentiae, ac comitatis, ac communis boni Zelator optimus.

XII. P. M. F. Samuel Saraceni Vigiliensis patritia stirpe, & nobili genere natus, pluries Prior sui Conventus S. Mariae Sanitatis, Rector Collegii Montis Dei, & Prior Monasterii SS. Petri, & Sebastiani, ac interinus Vicarius Generalis nostrae Congregationis, etiam Prior Conventus Monopolitani in Provincia S.Thomae de Apulia, atque Prior Provincialis Provinciae Apru-

tinae

tinae S. Catharinae Senenſis, prope nonagenarius in Conventu ſuo Sanitatis fato functus Ann. MDCCXXVIII.

XIII. P. M. F. Hieronymus Fonſeca Viſitator, & Vicarius Generalis Congregationis S. Crucis Indiarum, quinimmo in vetuſto Codice ſaepius laudato S. Spiritus *Provincialis* etiam dicitur ejusdem Provinciae, quae (ut ex N. Fontana conſtat) circa idem tempus fuit erecta, quare facillime poſt obitum munus Vicarii Generalis etiam in Primum Provincialem fuit adſumtus, & inſtitutus, de quo Lib. III.

XIV. P. M. F. Vincentius Goni Vicarius Generalis Congregationis Sardiniae (noviſſime in Provinciam erectae) de quo Lib. III.

XV. P. M. F. Thomas de Leo Neapolitanus, filius Conventus S. Spiritus Neapoli, Collegii Magiſter de numero Participantium, S. Officii Conſultor in eadem Neapolitana Urbe, Vicarius Generalis Congregationis noſtrae, necnon Neapolitanae Pro-Reginae a Confeſſionibus, & Vicarius Generalis Congregationis Sardiniae.

XVI. P. Baccalaureus F. Henricus de Majorica filius Neapolitani Collegii Montis Dei, Vicarius Generalis ejusdem Congregationis Sardiniae.

XVII. P. M. F. Auguſtinus de Calderiis e Monte Militum fuit Prior Conventus Ferrandinae, dum hic erat noſtrae Congregationi adnexus, Prior Conventus S. Marci Gavotorum, ſemel & iterum Vicarius Generalis ejusdem Congregationis S. Marci, ſimiliter dum actu Priorem agebat in Conventu Neapolitano Sanctae Mariae Sanitatis Ann. MDCLIX. a Magiſtro Ordinis fuit denuo inſtitutus Viſitator, & Commiſſarius Generalis ejuſdem Congregationis S. Marci, & fundator Conventus S. Annae Montis Militum. De eo etiam in appendice I. Libri.

XVIII. P. M. F. Michaël Angelus Mazzaferri nobili Florentina ſtirpe Neapoli ortus, Filius primoris Conventus S. Mariae Sanitatis, inter Magiſtros de numero Participantium Neapolitanae Facultatis adgregatus, Regularis obſervantiae cultor eximius, dono conſilii praeditus animarum director inſignis, ac probitatis exemplo conſpicuus, poſt varias Praefecturas in noſtra Congregatione, etiam in munere Vicarii Generalis, obitas, fuit etiam Viſitator Commiſſarius, & Vicarius Generalis Congregationis S. Marci Gavotorum in Regno: LXXXVII. annos natus in nativo

ſuo

ſuo Sanitatis Conventu mortuus eſt in oſculo Domini die xxix. Novembris MDCXCIII. & in peculiari ſepulchro loco depoſiti fuit tumulatus in Capella S. Catharinae Senenſis.

XIX. P. M. F. Marcellus Barone Prior Conventus S. Mariae Sanitatis &c. fuit etiam Vicarius Generalis Congregationis S. Marci Gavotorum, de quo III. Libro.

XX. P. M. F. Thereſius de Sio Neapolitanus, & filius Conventus S. Mariae Sanitatis, exactae Regularis diſciplinae cuſtos, Zelo fidei propagandae ardens in Tartariam Minorem Miſſionarius Apoſtolicus miſſus, Prior Monaſterii S. Catharinae Senenſis in Urbe noſtrae Congregationis, fuit a M. Ordinis inſtitutus Generalis Viſitator Congregationis Raguſinae.

XXI. P. Baccalaureus F. Johannes Baptiſta Miranda (de quo I. Libro) poſt varias praefecturas etiam Conventus ſui Sanitatis, ac per integrum quatriennium totius ſuae Congregationis, Viſitator Conventuum S. Severi Majoris, ac Jesu & Mariae in Urbe noſtra Provinciae Aprutinae S. Catharinae Senenſis.

XXII. P. M. F. Antonius Muſcati ſemel, & iterum Viſitator Monaſterii S. Annae de Nuceria Paganorum, de quo in Appendice I. Libri.

XXIII. P. M. F. Franciſcus Maria Luciano Viſitator Conventus S. Dominici in Suriano Provinciae Calabriae, de quo in Appendice III. Libri.



DE VIRIS SCIENTIA INLUSTRIBUS

LIBER III.



UM poſtremum de viris, qui doctrina celebres noſtram Congregationem, Ordinem, & Litterariam Rempublicam decorarunt, tractatum habeo, temporum ſeriem quoque ſervabo, & juxta ordinem annorum, quibus, & ſcribere, & vivere deſierunt, aut quibus ad habitum fuere recepti, qui adhuc vivunt, eorum ex profeſſo notitiam tradam.

Et licet quamplures itidem ejuſdem conditionis doctiſſimos viros commendare poſſem, quum nonnulli itidem ſuperſint, qui, licet dum viverent, nullum opus ediderint in vulgus, ſingularem vero ſibi ex ſcientia gloriam promeruerunt, ne tamen videar nimia paſſione detentus erga meos, quorum vel ex aliorum ſilentio, vel ex haud exſtantibus eorum doctrinae monumentis, pluribus ignotum eſt nomen, incognita perſona, nec perſpecta doctrina, eos omitto. De iis igitur ſolummodo data opera, ac diſtincte habebo verbum, quorum opera, aut publici juris facta cunctis innoteſcere poſſunt, ſicut reapſe pluribus apprime ſunt nota; aut quorum doctrina commendatur a ceteris, qui Scriptorum Bibliothecas ediderunt, ut ex horumce, quos laudo, ſerie innoteſcet. Ne autem omnino pereat aliquorum memoria, quos laudare operae pretium eſt, in calce hujuſce libri eorum catalogum brevi encomio pertexam, ut eorundem jura ſarta tecta conſervem, atque vel hinc innoteſcat ceteris nomen eorum, qui ſibi adhuc poſt funus gloriam ex doctrina promeruerunt. Sicut etiam ad integrum Scriptorum noſtrae Congregationis Syllabum exhibendum, horumce Albo, ſed in

in Appendice, iterum adscribam nomen dumtaxat eorum, qui in duobus prioribus Libris alio ex momento fuerunt laudati, sed ex operibus publici juris factis, aut ex eorum MSS. ut huic adscribantur, jure summo promerentur.

I.

„ F. Paulus Maria Pappalardus Siculus, Parthenopaeus pa-
„ tria, & Congregationis S. Mariae *della Sanità* alumnus, an
„ ille, qui in Actis Capituli Generalis Parisiis An. MDCXI. habi-
„ ti dicitur F. Paulus Maria de Neapoli, & Baccalaureus appro-
„ batur, laudatur a Toppio *Bibliot. Napol.* ceu qui magna sui
„ & Ordinis fama cathedram sustinuit Olissipone Anno
„ MDCXVIII. Cujus tamen Toppius nulla recenset opera, spe-
„ rans forsan a suis symmistis addenda, quod & nos ab illis ex-
„ spectamus „. Haec de N. F. Paulo scripsit Cl. N. Jacobus Echard (a): & utique facillime addidissem ego quae Cl. Scriptor exspectabat, nisi Majorum nostrorum incuria primaeva nostrorum PP. monumenta, ac inlustrium virorum scripta periissent. Quod autem ex authenticis testimoniis addere possum, illud unicum est, quod habetur in vetusto codice Conventus S. Spiritus, nimirum, quod laudatus Theologus, qui fuit primus filius Conventus S. Spiritus, dum Conventus ille fuit adgregatus Congregationi S. Mariae Sanitatis „ Habitum Clericorum recepit in Con-
„ ventu S. Mariae Sanitatis die xv. Augusti MDXCI. per manus
„ adm. R. P. Prioris Ambrosii de Neapoli: revoluto anno eadem
„ die & hora fecit solemnem professionem in Conventu, & pro
„ Conventu S. Spiritus de Neapoli Ordinis Praedicatorum, in
„ quo acceptatus fuit in filium, transferens filiationem suam a
„ Conventu S. Mariae Sanitatis ex consensu Ad. R. P. Ambrosii
„ Magistri de Neapoli Prioris S. Mariae Sanitatis, & ejusdem
„ Congregationis Vicarii, nec non Capituli ejusdem Conventus
„ S. Spiritus „. Idem pariter F. Paulus est, qui in laudato Parisiensi Capitulo adprobatur Baccalaureus, quique „ in Olisipponen-
„ si Capitulo gloriose defendit pro Provincia Regni, ubi etiam
„ Magisterii laurea fuit insignitus, qui etiam ex eodem Capitulo
„ rediens in itinere vivere desiit, „ ut in eodem vetusto Codice S. Spiritus, posteriori tamen manu additur & adnotatur. In Necrologio itidem ejusdem sui Conventus inter S. Theologiae Magistros fa-
to

(a) *Echardus* Tom. II. Scripto: Ord. pag. 468.

to functos adnumeratur. Similiter in vetustissimo primaevo Libro Novitiatus S. Mariae Sanitatis *pag.* 14. ubi exstat ejus receptio ad habitum, additur: „ Professus est in Conventu S. Spiritus, cujus est „ filius „ & quidem juxta morem illius aetatis. Additur etiam ibidem posteriori manu, & citra dubium Cl. P.M. Gravina, quod laudatus Pater „ Obiit in Hispania post Capitulum Generale „ Ulysipone celebratum, in quo mirifice conclusiones defende- „ rat, ob quas fuit factus Magister „.

II.

F. Philippus Arduino Neapolitanus, e primis primoribusque S. Mariae Sanitatis alumnis, ad habitum Clericalem in eodem Conventu receptus die IX. Augusti MDLXXXV. pietate pariter ac doctrina inlustris ad magisterii lauream per omnes gradus pervenit, ac ob eximiam prudentiam, dexteritatem ac imprimis exactam, quam coluit, observantiam Regularem fuit institutus Vicarius Generalis suae Congregationis; utque latius eandem disciplinam Regularem promoveret, fuit praefectus Provinciae S. Catharinae Senensis, seu Aprutinae, in munere Supraintendentis, necnon institutus fuit Prior Provincialis, ac Visitator Provinciae utriusque Calabriae. Meritis tandem, etsi non annis, onustus pie decessit in suo Conventu S. Mariae Sanitatis die XXVI. Aprilis MDCXXIII. Plura reliquit sui ingenii monumenta, quae dubio procul ex nimia Veterum simplicitate aut in pluteis pulvere sepulta, vel blattis conrosa, vel omnino deperdita, ad nostram notitiam non pervenerunt. Ejus tamen doctrina, ob quam sibi gloriam, etiam post funus promeruit, ex Nicolao Toppio (*a*), qui eum inter inlustres Neapolitani Regni Scriptores adnumeravit, clare innotuit, ex quo etiam Cl. N. Jacobus Echard inter nostros Scriptores eum adcensuit sequenti elogio (*b*) „ F. Philippus Arduino Neapolitanus Congregationis „ *della Sanità* alumnus, & aliquando Vicarius Generalis, inter „ Theologos nominatus, & laurea decoratus, vir prudens & „ gravis, magnaeque apud suos, & extraneos auctoritatis, a „ Toppio inter Scriptores recensetur, nulla licet ejus proferat „ opera, quae forte a suis symmistis exspectavit addenda, „ quod & nos ab iis exspectamus „. Sed o utinam & nobis bea-

(a) *Toppius* Biblioteca Napoletana.

(b) *Echardus Tom. II.* Scriptor. Ordin. *pag.* 756. c. 1.

ta obtigiſſet ſors ea indicandi, etſi non prodendi! certiſſime addidiſſem juxta Cl. Scriptoris votum.

III.

,, Frater Octavianus Gravina Neapolitanus, inluſtris noſtri Dominici Gravina, de quo poſtea ad 1643. germanus frater natu minor, ejuſdemque conventus *della Sanità* filius profeſſus, Sacrae Theologiae Magiſter in actis Capituli generalis Anno MDCXVIII. Olyſipone habiti ad Congregationis ſuae petitionem promotus recenſetur a Toppio in ſua *Bibliot. Napol.* diciturque Anno MDCXXIV. diem ultimum obiiſſe. Nulla ramen ejus ibidem laudantur opera, quae forte Toppius ab ejus ſodalibus ſperavit,,. Haec de eo adnotavit N. Jacobus Echardus (*a*). Utinam vero, & quae fortaſſe addenda ſperabat Toppius, & exſpectabat Echardus, addere mihi licuiſſet. Temporum quippe injuria, ac infelici fato plurium, quibus noſtrum Regnum fuit adflictum, calamitatum nobiliora Noſtratum monumenta, & Opera perierunt.

IV.

F. Vincentius Goni Neapoli ex Patre Hiſpano nobili genere natus, & ad Clericalem habitum receptus in Conventu S. Mariae Sanitatis die 1. Octobris MDXCV. quam clarus fuerit pietate doctrina & ſingulari, qua pollebat, exacta Regulari obſervantia, vel ex eo eſt dignoſcere, quia viceſimo ab ingreſſu in Ordinem vix elapſo anno Magiſtrali laurea fuit inſignitus, & paucos poſt annos fuit etiam inſtitutus Vicarius Generalis Congregationis (nunc Provinciae) Sardiniae, quo in munere Calari diem clauſit extremum die XXIX. Novembris MDCXXIV. De eo autem tale protulit teſtimonium N. Cl. Echardus (*b*).

,, Fr. Vincentius Goni Neapolitanus, Conventus S. Mariae *della Sanità* alumnus, ſacrae Theologiae Magiſter ob publicas diſputationes in comitiis Ordinis Bononiae Anno MDCXV. cum multo ſuo honore habitas, & defenſas in Actis promotus, Vicarium Generalem in Congregatione Sardiniae poſtea egit, eoque fungens officio ibidem mortuus eſt Anno MDCXXIII. ut habet Toppius *Bibliot. Napol.* praeſtantiſſimum fuiſſe Theologum teſtatus, nulla tamen ejus recenſet ope-,, ra,

(a) *Echardus* Tom. II. Scriptor. Ordin. pag. 435.

(b) *Echardus* Script. Ord. Praedicat. Tom. II. pag. 432.

„ ra, a ſuis ſodalibus forte ſperans addenda, qua una ratione „ etiam a Nobis hìc non recenſentur„. Nec mihi quidem facile fuit eodem ex fato hujuſce viri opera invenire, aut quae MSS. reliquerit, obſervare aut ſcire: faxit Deus, ut aliquando haec in aliorum notitiam perveniant.

V.

F.Thomas Brancia Neapolitanus,filius Octavii Brancia,& Juliae Carafa,nobili genere natus,in Conventu S.Mariae Sanitatis ad Clericalem habitum receptus die x.Julii MDCI.& eidem Conventui adſcriptus,in primordiis illis feliciſſimis ſpiritum hauſit virtutis,ac Regularis exactae obſervantiae;ſtudiiſque addictus ita inſignis evaſit magiſter, ut etiam in Romano Collegio S. Mariae ſuper Minervam Regentis munus obire dignus fuerit judicatus; ibique tanta ſui gloria,ac Ordinis decore cathedram illam rexit, ut a Romano Pontifice fuerit deſignatus nominatuſque ſui Apoſtolici Palatii Magiſter, ſed invida mors ad praefatum honorificum munus eum pervenire non ſivit, nec ſine Fratrum,& Urbis moerore, nam tantum virum, vel in ipſo virilitatis flore omnibus virtute amabilem, & ad majora adhuc ſuſpiratum, evolantemque e vivis rapuit die III. Junii MDCXXIX. dum Comitiis Generalibus pro electione Magiſtri Ordinis convenerat. MS. quod reliquit, & Toppius refert, ego etiam vidi in Bibliotheca Collegii Montis Dei bene ſervatum, & jam praelo paratum: alia autem ejus ingenii monimenta fortaſſe latitant in Bibliotheca Conventus S. Mariae Sanitatis. In ejus autem encomion haud taedet exarare quod N. Jacobus Echard adnotavit, cui etiam, quod ille omiſit, ut licuit, addere curavi, plura itidem adjeciſſem, ſi forte mihi innotuiſſent. Ita enim de eo ſcribit Cl. Author (a) „F.Thomas Brancia patria profeſſioneque Neapolitanus, „ Conventus S. Mariae *della Sanità* inſignis alumnus, ortu quidem genereque nobili natus, ſed eruditione religioneque longe nobilior, Sacrae Theologiae magiſter, cum eam apud „ ſuos pluribus annis docuiſſet, Romam vocatus Gymnaſii S. Thomae ad Minervam Regens inſtitutus eſt, tantamque ſibi in Urbe famam comparavit, ut ad ſacri Palatii magiſterium jamjam a Chriſti Vicario promovendus eſſet, „ quum ad Regni coeleſtis aulam ab ipſo Chriſto Domino aſ-

Z 2 „ ſum-

(a) *Echardus* Script. Ord. Praed. Tom.II. pag.756.

„ sumptus est. Ejus meminit Toppius in sua Bibliotheca Neapolitana, ubi & refert scripsisse hoc titulo.

„ *Tractatus de praedestinatione Sanctorum*, quem in Conventu Neapolitano Montis Dei se vidisse MS. & ibidem asservari testatur.

„ Quo autem obierit anno die & loco nec Toppius, nec „ monimenta MSS. Conventus *della Sanità* mihi in schedis asservata notarunt, eritque suorum diligentiae hìc addere.

VI.

F. Dominicus Guglielmini Neapolitanus, minor germanus frater Ambrosii Guglielmini, in Conventu & pro Conventu S. Mariae Sanitatis primus omnium Fratrum, qui in eadem, & pro eadem Congregatione professionem emiserunt, ad habitum Clericalem receptus a primo illius Conventus Priore F. Augustino de Perusio die XI. mensis Novembris MDLXXXIII. brevi ad religiosæ perfectionis, & insignis litteraturae apicem pervenit: qua de caussa ob singularem eruditionem ad Magistralem lauream, emenso studiorum curriculo, omnibus scholasticis in superiori gradu exantlatis laboribus, merito pervenit, tantoque sui nominis decore, ut etiam Neapolitano Theologorum Collegio inter participantes Magistros adgregatus, inter insignes illius aetatis Doctores principem obtinuerit locum, & demortuo suo fratri majori Ambrosio Guglielmini fuerit suffectus in munere Vice-Cancellarii ejusdem Collegii Neapolitani. Ex momento itidem suae integritatis, prudentiae, ac exactissimae, quam semper coluit, Regularis observantiae ad plures in Ordine praefecturas fuit evectus. In munere Prioris quidem suum nativum Conventum, & in officio Vicarii Generalis suam Congregationem S. Mariae Sanitatis rexit. Fuit itidem Apostolica authoritate institutus Prior Provincialis Provinciae S. Thomae de Apulia, & deinde ex suprema potestate ab Urbano VIII. fuit creatus Provincialis Provinciae Regni; at eo munere haud expleto vivendi finem fecit in suo Conventu S. Mariae Sanitatis die XX. Novembris MDCXXXV. post se relicto eximiae probitatis, ac insignis eruditionis nomine. Ejus funus magno confluentium concursu fuit cohonestatum, solemnique pompa fuit ei parentatum in eadem Ecclesia Sanitatis cum adsistentia totius Collegii Neapolitani, & ejusdem laudes funebri oratione insignis Ecclesiastes e suggestu ibidem

ibidem habuit. Ejus cum laude meminerunt Acta ejuſdem Neapolitani Collegii (*a*), Theodorus Valle (*b*), aliique. Quaenam autem ingenii ſui monimenta reliquerit, aut ubinam ea delitefcant? prorſus ignotum.

VII.

F. Raymundus Paraſcandalo Neapolitanus, die xix. Septembris MDCVI. in Conventu Sanitatis, & pro eodem Conventu ad Clericalem habitum receptus, ſtudiiſque ſtato tempore addictus nimium profecit, & per omnes gradus ad lauream Magiſtralem pervenit. Edidit ex Hiſpanico in Italicum idioma a ſe verſam.

La relazione del Martirio del B. F. Alfonſo Navarretta dell' Ordine de' Predicatori, e del ſuo Compagno F. Ernando di S. Giuſeppe, &c. *ordinato per il P. F. Domenico Concal dell' Ord. de' Predicatori Commiſſario del S. Officio, e tradotta per il P. F. Raimondo Paraſcandolo*, &c. Neapoli Conſtantini Vitale 1621. in 4. De eo agunt Nicolaus Toppius (*c*), & N. Jacobus Echardus (*d*).

VIII.

F. Petrus Eliſius Neapolitanus, ſeptemdecim natus annos Clericalem induit habitum in Conventu S. Mariae Sanitatis, & probationis emenſo anno, inter illius Conventus filios cooptatus, atque ad profeſſionem admiſſus, ſicut in Regulari obſervantia enituit, ita in litteris profecit, ac ita ſe conſpicuum reddidit, ut in Ordine Magiſtrali laurea decoratus, atque inter Magiſtros de numero Participantium Neapolitani Collegii cooptatus, meruerit etiam inter primores illius aetatis Theologos adnumerari, quo ex momento fuit laudatus a Nicolao Toppio; ex quo eum itidem ſuae Bibliothecae inſeruit N. Cl. Jacobus Echardus ita de eo ſcribens (*e*).

„F. Petrus Eliſius Neapolitanus, Conventus *della Sanità* „ profeſſus, ſacrae Theologiae Magiſter magni nominis, & Collegio Doctorum aggregatus florebat Anno MDCXL. teſte „ Toppio *Bibliot. Napol.* ubi ita eum laudat, ut nulla ejus opera „ recenſeat, ea forte expectans a ſuis ſymmiſtis addenda, quod „ & in votis nobis eſt „.

F. Ju-

(a) *Act. Coll. Neapol.* Matricula I.

(b) *Vallius* Huom. illuſtr. della Prov. del Regn.

(c) *Toppius* Bibliot. Nap.

(d) *Echardus* Tom. II. Script. Ordin. Praed.

(e) *Idem* ibidem pag. 524.

IX.

F. Julianus de Fiore Neapolitanus, in Conventu S. Mariae Sanitatis ad habitum Clericalem receptus die IX. Augusti MDXCII. fuit magnae perfectionis Sacerdos: in Asceticis, & Mysticis valde eruditus, ac propria virtute conspicuus, ut vel ex directione suae spiritualis filiae V. Sororis Paulae a S.Thoma satis est rimari. Qui autem studio mentalis orationis, ac exercitio virtutum, directionique piorum, & universim fidelium saluti procurandae fuit addictus, a consuetis Ordini studiis haud abstinuit: quare per omnes gradus ad Magistralem lauream devenit. LXXVII. suae aetatis anno expleto non sine singulari virtutum fama ad Dominum migravit in Conventu suo S. Mariae Sanitatis de Neapoli die XI. Septembris MDCXLII. ut adnotatur in Libro Novitiatus S. Mariae Sanitatis, ubi ejus virtus exprimitur, quam nec indigitare omisit N. Theodorus Valle a Priverno. Ejus autem Acta &, Scripta brevi encomio N. Cl. Jacobus Echard, ita fuit complexus (a) „ F. Julianus de Flore Neapolitanus, Con„ gregationis *della Sanità* alumnus, vir pietate & eruditione „ clarus, in comitiis Ordinis Ann. MDCXV. Bononiae habitis „ Sacrae Theologiae Magister promotus, Conventus S. Mariae „ *della Sanità* & S. Spiritus rexit Prior electus & constitutus; ac „ demum obiit Anno 1642. suavissima relicta suarum virtutum „ memoria. Scripsit, *La vita della Venerabile Suor Paola di S.To„ maso del terz'Ordine di S. Domenico*, quam MS. in Bibliothe„ ca S. Mariae *della Sanità* servari testatur Vallius p. 315. Ejus„ dem meminit Toppius *Bibliot. Neapol.* „ Eandem quoque vitam, sed alieno charactere conscriptam, vidi in Bibliotheca S.Mariae Sanitatis, seu SS. Rosarii Barrae.

X.

F. Joseph de Ariano, seu de Civitate Ariani in Provincia Principatus ulterioris in Regno nostro, quo anno natus, quo tempore ad habitum Clericalem, & ubi receptus, quove fuerit cognomine distinctus, ex libris nostrae Congregationis colligere nequivi, quum habitum induerit in Provincia Regni, ex qua tamen ad nostram Congregationem convolavit, & ex Conventu S. Crucis Ariani (tunc eidem Provinciae adnexo) ad Conventum S. Spiritus Neapolitanae Urbis suam filiationem transtulit

(a) *Echardus* Script. Ord. Tom.II. pag.529. c.1.

ur, ut constat ex autographo F.Seraphini Sicci Magistri Ordinis Neapoli signato die xv. Januarii MDCXVII. (inserto vetusto codici filiorum ejusdem Conventus S. Spiritus *pag.* 18.) in quo laudatus Ordinis Magister enuncians praefatum Josephum de Ariano viginti quatuor solidis annis in nostra Congregatione ad exactiorem observantiam colendam variis in Conventibus adsignatum permansisse, eum Apostolica authoritate adgregat filiis laudati Conventus S. Spiritus, modo adcedat consensus Vicarii Generalis ejusdem Congregationis, & filiorum praelaudati Conventus, sicut & reapse lubentissime eorum omnium consensus adcessit, ut ex authenticis monumenris ibidem exstantibus constat: ex quibus itidem habetur nostrum Josephum fuisse religiosae paupertaris amatorem, ac eximium cultorem, Regularis observantiae exactissimum custodem, ac omnigenae virtutis exemplar, aliorum saluti quammaxime deditum, atque addictum; quinimmo integro quadraginta annorum curriculo praefati Conventus Sacristiae in munere Sacristae Majoris praefectum argenteis vasis, pretiosis paramenris, aliaque multiplici sacra supellectili ditasse atque ornasse Ecclesiam, & Sacristiam. Additur ibidem *pag.* 33. in senectute eundem obdormisse in Domino non sine sanctitatis odore die III. Martii MDCXLIX. prius praelo commisso libro, cui titulus *Rosario fiorito &c.* De eo autem ita praeceteris scripsit saepius laudatus Echardus(a):„F.Josephus d'Ariano Siculus „ (hoc est Neapolitanus, seu Neapolitani Regni, quod Gallus author juxta Veterum phrasim Siciliam citra Pharum dicit) „ Conventus S. Spiritus Neapolitani professus, vir animarum „ zelo commendandus, quarum saluti se totum addixerat, pie „ demum obdormivit in eodem suo Conventu An. MDCXLIX. „ optima sui nominis opinione relicta, uti monumenta ejus Do- „ mus MSS. testantur. Meminit etiam Toppius in *Biblior. Na-* „ *pol.* Scripsit ac edidit *Rosario fiorito, e Paradiso delle anime di-* „ *viso in sette Libri*. Neapoli Secondini Roncaglioli 1644. „ in 4.

XI.

F. Reginaldus Balsamo de Specla, vulgo *Specchia*, in Provincia Hydruntina, cum sexdecim esset annorum habitum Clericalem induit in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis die

(a) *Echardus* Tom.II. Script. Ord. Praed. fol.560.

die VII. Martii MDCVI. & adfiliatus Conventui S. Mariae Sanitatis, seu SS. Rosarii Barrae Regularem observantiam cum devotione coluit, & studiis adplicitus ita profecit, ut jure meritoque inter inlustriores sui temporis Theologos fuerit habitus, Magistrali propterea insignitus laurea post omnes scholasticos, quos gloriose obivit, agones: quare a Nicolao Toppio inter insignes illius aetatis Philosophos ac Theologos adnumeratus fuit. Ex Toppio autem aliisque ita fuit a Cl. N. F. Jacobo Echardo laudatus (a) „ F. Reginaldus Balsamo Apulus, *de Specchia* „ etiam dictus, Congregationis S. Mariae *della Sanità* insignis „ alumnus, Philosophus & Theologus eruditissimus, vir tena„ cis memoriae, ac in expositione sacrae Scripturae, Sancto„ rumque Patrum lectione versatissimus, cujus magisterium „ confirmatur in Actis Capituli generalis Romae 1644. obiit An„ no 1653. Recensetur a Toppio in sua *Bibliot. Napol.* nulla ta„ men ejus opera laudantur, quae forsan ille speravit a suis so„ dalibus addenda, quod & ab eisdem exspectamus „. Verum quae exspectabat Toppius, quae Echardus sperabat, nullus e sodalibus dare potest, quum, ex Veterum incuria, nulla ad nos eorum pervenerit notitia; & si quae fortasse ejus opera olim extabant, eorum deperdita memoria, in aliqua e nostris Bibliothecis blattis & tineis conrosa delitescunt, vel igne, ut adsolet, consumta fuerunt. Addere dumtaxat mihi licuit ad coronidem sui terreni curriculi, ut ex authenticis monumentis conlegi, quod laudatus vir variis decoratus muneribus, praesertim Prioris Neapolitani Conventus S. Mariae Sanitatis, exacta Regulari Observantia insignis, rigoribusque adtritus, Studio semper protracto consumtus, deperdito penitus somno, in insanabilem devenit vigiliam, ex qua tandem ad pacis somnum, & beatam requiem transivit in Conventu suo nativo Barrae, Sacramentis Ecclesiae pie sancteque munitus.

XII.

F. Hippolytus-Maria Parascandalo Neapolitanus die XXIX. Octobris MDCXXII. in Conventu, & pro Conventu S. Spiritus ad habitum Clericalem admissus, ibique probationis expleto anno solemniter professus, ac studiis addictus, revera insignis evasit Orator, qui propterea in primoribus Italiae, praesertim no-

(a) *Echardus* Tom. II. Script. Ord. Praed. fol. 576.

noſtrae Urbis, Eccleſiis maximo auditorum adplauſu,ac concurſu Panegyricas Orationes, ac Quadrageſimales habuit conciones; ſicut ſimiliter inter inluſtres illius aetatis Theologos haud infimum tenuit locum, qui iccirco etiam Baccalaureatus gradu fuit inſignitus in Comitiis Romanis Ann. MDCXLVI. Peſte ictus ad lauream Magiſtralem ne perveniret morte fuit praepeditus, dum in Conventu SS. Roſarii Barrae commoraretur.

Multa in concionandi genere MSS. reliquit quae commendantur a Toppio)*a*), & ab Echardo laudantur (*b*).

XIII.

F. Aloyſius Fenice Parthenopaeus, menſem unum ſuper quindecim annos natus in Conventu Neapolitano S. Mariae Sanitatis ad Religionis habitum & probationis annum receptus die XXIV. Junii MDCXI. atque inter filios ejuſdem Conventus adnumeratus tantam ſub directione & Magiſterio V.P.M.F. Cornelii Avitabile hauſit devotionem, talemque Regularem exactam diſciplinam, ut plures ad eam promovere ſuo potuerit exemplo, ac dirigere verbo; nec deſiſtens a ſtudio litterarum, qui orationem lucubrationi bene conjungere novit, ut jure ſummo inter primores Theoſophiae Magiſtros fuerit adclamatus. Sat autem eſt de eo in medium proferre, quod de eodem, nullo adpoſito fuco, nullo adjecto calamiſtro, N. Echardus veraciter praeſtitit, dum eum lucidavit (*c*). „ F. Ludovicus Fenice Neapolitanus, Congregationis Sanitatis dictae alumnus, ac ſemel & iterum Vicarius Generalis, qui etiam Conventus S. Spiritus ad Palatium, & S. Catharinae Senenſis adminiſtravit Prior. Primos etiam obtinuit in Provincia Regni gradus, Gymnaſii noſtri S. Thomae Aquinatis Neapoli, tum & S. Mariae ab Arcu Regentis officio functus, primuſque demum Gymnaſii noſtri Neapolitani de Monte Dei Rector datus & inſtitutus: vir acutiſſimi ingenii, tenaciſſimae memoriae, profundiſſimuſque apud omnes adclamatus Theologus. Sic de eo Toppius in *Bibliot. Neapol.* addens ad tantas animi dotes, cum de Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici conſtituendo tractaretur aliquando, & inter alios Ludovicum hunc noſtrum fuiſſe propoſitum, & cum demum „ Prio-

(a) *Nicolaus Toppius* Bibliot. Neap. pag. 181.

(b) *Jacobus Echard.* Tom. II. Script. Ord. pag. 618. c. 1.

(c) *Jacobus Echard* Tom. II. Script. Ord. Praed. fol. 585. c. 1.

„ Priorem ageret S. Catharinae Senensis Neapoli diem obiisse „ supremum anno MDCLVI. nulla tamen ejus opera recenset „ Toppius, quae forte exspectavit, ut & nos, a suis Symmistis „ prodenda „ . Quae optabat opera Echardus distincte dare nequimus, hoc unum addere contenti, nimirum, quod ejus Theologica MSS.quae omnium manibus terebantur,& lubentissime expendebantur in scholis, fuisse nimium a priscis laudata, quae adhuc exstant in Bibliotheca S.Mariae Sanitatis.

XIV.

F. Johannes-Leonardus Uva Neapolitanus, sexdecim natus annos inter Praedicatorum Ordinis alumnos cooptatus, ac filiis Conventus SS. Rosarii Barrae adgregatus, atque ad probationis annum admissus in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis die VI. Januarii MDCVII. in felicissimis illis sanctioris disciplinae primordiis insignium virorum exempla secutus, sibi, & proximo, exemplo & doctrina profecit; nec solum e cathedris Magistrali laurea insignitus Scholasticam Theologiam edocens famam sibi & gloriam adscivit, sed e suggestu pariter ad populum verbum Dei habens insignis Ecclesiastis promeruit nomen. Et quamvis exactiora desint monumenta ad sigillatim ejus aut munera enumeranda, aut dotes adisserendas, loco clarissimi elogii erit,quod de eo saepius laudatus N. Echardus posterorum memoriae tradidit (a). „ F. Johannes Leonardus Uva Siculus Parthenopaeus vir utique non una commendandus disciplinae Regularis laude, quam in Sanctissima Congregatione *della Sanità* voto solemni professus est, constantissimeque retinuit, „ sed eruditionis fama, sacrarum litterarum, & Ecclesiae Doctorum assidua tractatione, dicendique copia & gratia celeberrimus, adulto jam Christi Seculo XVII. claruit, plura scripsit, „ posterisque ingenii monumenta reliquit, quorum quaedam „ typis prodierunt, sic a Toppio *Bibliot. Napol.* recensita.

„ *Panegirico del glorioso S. Antonio di Padova da lui predicato in Napoli.* Neapoli, Lazari Scorrigii 1626. in 4.

„ *Concionum varii generis opus & conceptuum moralium sylva.* Quae MSS. in Bibliotheca S. Mariae *del Rosario della Barra* „ (sic coenobium illud nuncupatur) servari asseruit idem Toppius „.

Eodem

(a) *Echard* Script. Ord. Praed. Tom.II. fol.461. c.2.

Eodem infauſto Anno MDCLVI. ex lue in Regno graſſante diem clauſit extremum.

XVI.

F. Paulus Maria de Georgio Neapolitanus, adhuc puerulus habitu religionis indutus,& inter educandos adgregatus in Conventu S. Spiritus die xxx. Octobris MDCXXII. dum ad ſtatum pervenit tempus,exutus veſtibus religioſis,& ſaeculari habitu indutus, juxta morem illius aetatis, in Capitulum ductus fuit, ibique ad probationis annum, & ad Clericalem habitum admiſſus die xxviii. Octobris MDCXXVIII. atque inter filios illius Conventus fuit adnumeratus (*a*): In eodem pariter Conventu S. Spiritus emenſo probationis anno ſolemnem emiſit profeſſionem. Quum autem ſtudiis adplicitus adhuc juvenis in Novitiatu degens ſingularis ſuae eruditionis ſpecimen exhibuiſſet,Salmanticam fuit miſſus, ut,ibi Scholaſticis ſtudiis apprime eruditus,inſignis evaderet Doctor, & revera ita adcidit: quare inter eximios ſuae aetatis Theologos fuit ab omnibus declaratus. De quo tale profert teſtimonium N. Jacobus Echard (*b*).

„ F. Paulus de Georgio Neapolitanus, Conventus S. Spiritus ad Palatium alumnus, & profeſſus, Philoſophus & Theologus primi nominis, ſacras litteras primum docuit in Hiſpania, tum diutius, & apud ſuos Neapoli; unde lauream Magiſterii conſecutus eſt, & obtinuit in capitulo generali Romae Anno MDCXLIV. habito. Primarium poſtea Regentem egit in in Coenobio S. Mariae *della Sanità*, Priorem in ſuo S. Spiritus, & tandem Rectorem in gymnaſio Montis Dei, in quo ultimo diem ultimum obiit Anno MDCLVI. Hunc Toppius inter Scriptores Neapolitanos recenſet, ceu cujus *Tractatus plures Theologici* MSS. ſervantur in Bibliotheca ſuae domus S. Spiritus „.

XVIIi

„ F. Thomas de Franciſcis patria Neapolitanus, profeſſione Domus S. Mariae *della Sanità* alumnus, in ſcholis Theologicis illuſtre ſibi nomen fecit, hinc in actis Capituli generalis Romae Anno MDCXLIV. Baccalaureus promotus, lauream

 „poſtea

(a) *Vetuſt. Cod. Filior.* Conv.S.Spir.fol.31.
(b) *Echardus* Tom.II. Script. Ord.pag. 585.

„ postea Magisterii consecutus est. In studio suae Congregationis generali Montis Dei Regentem pluribus annis egit; tandemque & docere & vivere desiit Anno MDCLVI. VI. Augusti. Ejus cum laude meminit Toppius, ab eo scripta, & a se visa testatus.

„ *Tractatus de SS. Trinitate ad primam partem summae S. Thomae.*

„ *Commentaria in primam secundae a quaest.* 71. *ad* 89. nempe de peccatis.

„ *Tractatus de fide spe & charitate: & de Romano Pontifice ad secundam secundae ejusdem.*

Haec de tanto Viro scripsit Cl. N. saepius commendatus Jacobus Echardus (*a*), & revera ita ex nostris monumentis habetur; praecipue ex libris Collegii Montis Dei, ejusque Necrologio, ubi ita pariter emortualis ejus dies adnotatur anno adflictae Urbis. Et quidem eo in contagio nedum primipili Sanctitatis, sed & doctrinae gloria insignes, viri peste icti conciderunt, qui dubio procul nostram Congregationem, litterariam Rempublicam, & Ecclesiam inlustrassent, nisi tali subjacuissent fato. Jam enim plurima praelo paraverant opera, quae nequiverunt edere in vulgus: quinimmo etiam ex eodem infausto, ut adsolet, adcidente, quae poterant nobis suppeditari, monumenta penitus interierunt: quare plura de eo, sicut & de ceteris aliis conspicuis nostris Fratribus adnotare nequivi, etsi omnem adhibuerim diligentiam ad ea reperiunda.

XVIII.

F. Johannes Baptista Sersale, patritia Neapolitana familia Cerisani in feudo paterno natus ex Hannibale Sersale Principe Castri Franchi in Provincia Principatus Ulterioris, nondum expleto XV. aetatis suae anno Clericali indutus habitu in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis die XXVII. Decembris MDCXXXI. & die XI. Januarii MDCXXXIII. in eodem, & pro eodem Conventu solemniter professus, generis nobilitatem animi virtute clariorem fecit. Regulari exacta observantia, atque singulari eruditione nitens nomen suum, & Ordinem, suumque Conventum, ac Congregationem inlustravit, cujus laudes ex solo N. Echardo conligere satis erit, dum alia distincta non supersunt monumenta.

De

(a) *Echardus* Script. Ord. Praed. Tom. II. fol. 585.

De eo namque ita insignis Scriptor sermonem habuit (*a*) .

„ F. Johannes Baptista Serfale Siculus sacrae Theologiae „ Magister ob conclusiones Theologicas in comitiis Ordinis ge„ neralissimis RomaeMDCXLIV. egregie defensas, tum Bac„ calaureus pro Congregatione *della Sanità* dicta promotus & „ institutus, germanum habuit Petrum-Thomam Serfale, qui „ & idem institutum professus est, & sacrae Theologiae Bacca„ laureus. Illustri ambo genere prognati erant, Principis *di Ci„ risano* filii, sed eruditione & pietate illustriores non parvam „ in dicta Congregatione sui existimationem fecerunt. Petrus, „ qui videbatur primus mortuus, opus confecerat, quod Jo„ hannes superstes curavit edendum hoc titulo: sic me docet „ Toppius in Biblioth. Neapol.

„ *Pensieri santamente politici indrizzati al mantenimento del„ la Republica dell' anima Cristiana dal P. Baccelliere F. Pietro „ Tomaso Serfale del medesimo Ordine* Neapoli Novell. de Bonis „ 1660. in 4.

Fateor ingenue verum: potius Petro-Thomae Serfale erat inscribendus paragraphus iste, quam Johanni Baptistae Serfale; verum quia hoc modo laudatus Echardus suae Scriptorum Ordinis nostri Bibliothecae inscribendum censuit, ne vel per transversam paleam, aut latum unguem a tanto viro procul irem, ut ille, ita ego inscribendum curavi: praesertim ne memoria periret laudati Johannis Baptistae, qui insignis revera Theologus fuit; in eoque laudato pariter gloria enitet germani ejus fratris, ut constat.

XIX.

F. Hieronymus de Neapoli, in Saeculo Aloysius Fonseca, genere nobilis, origine Hispanus, annos natus quatuordecim ac menses tres in Neapolitano S. Spiritus Conventu ad habitum Clericalem admissus die XXXI. Martii MDCXIX. sed ad probationem adceptatus die XXX. Decembris ejusdem Anni: ibidem expleto Novitiatus anno, ac inter filios ejusdem Conventus cooptatus, Deo se per solemnia vota sacravit, atque consuetis studiis addictus, in eis mire profecit. Cum Regulari, quam tenuit voluitque, observantia singularem in agendis prudentiam, ac dexteritatem conjunxit, quo ex momento *fuit Visitator Generalis*

(a) *Echardus* Script. Ord. Tom. II. pag. 597.

ralis Provinciae Indiarum,ut habetur in vetusto Codice filiorum laudati Conventus S. Spiritus. Similiter in eadem Provincia S. Crucis Indiarum (tunc Congregatione) Vicarium generalem agens „ sui ad majorem exspectationem, & diuturniora vitae „ tempora desiderium omnibus reliquit Anno MDCLXII. „ ut de eo testatur laudatus Echardus (a); & iccirco quia vix annos natus LVII. qui grandaevus, & capularis optabatur, exivit e mundo. Subdiditque idem Echardus „ Ejus meminit Toppius, „ addens Sacrae Theologiae magisterio decoratum scripsisse ac „ edidisse.

„ 1. *Commentaria in quasdam Quaestiones S.Thomae 1.partis.*
„ 2. *Nonnulla Concionatoribus utilia* „.

Haec autem, quae Toppius addidit, adnotata quoque leguntur in praefato vetusto Codice S. Spiritus, ubi dum luculenter describitur insignis S. Theologiae Magister, additur, quod *praelo mandavit libros de Facultate Theologica, & Conciones*. Verum quum nec Toppius, nec praelaudatus Codex meminerint titulorum, quos adposuit eisdem operibus, nec percenseant quaenam distincte vulgaverit,esto generatim materiam operum indigitent, dubio procul ea in Indiis exsistens typis commisit, quorum tamen nec vel unicum exemplar Neapolim fuit advectum,eo in Orbe novo e vivis abrepto.

XX.

F. Dominicus Gravina filius Conventus S. Mariae Sanitatis principem abs dubio inter inlustres nostrae Congregationis viros sibi vindicat locum, ceu ille, qui dignitate, muneribus, doctrina, sed praeserrim probitate enitens nostrae Urbis, nostri Ordinis, ac universi Orbis singulare suspicitur decus; satisque foret ad tanti viri gloriam transcribere, quod de eodem pluries laudatus, sed nunquam pro merito commendatus, N. Jacobus Echardus posterorum memoriae consignavit. Verum quia plura nobis apprime nota tantum virum fortasse latuerunt, iccirco breviter, quae ille omisit, dabimus, reliqua ex eo adnotabimus, ut integre,etsi strictim,ejus Acta & opera commendemus.

Quum religiose nimium enutritus,ac eruditus fuisset in Neapolitano Archiepiscopali Seminario, & a pueritia usque ad XXI. suae

(a) *Echardus* Script. Ord. Praed. Tom. *II.* fol.603.

ſuae aetatis annum ſub cura & magiſterio inſignium virorum fuiſſet educatus, ad majora contendens,& chariſmata nobiliora exoptans ad Praedicatorum clauſtra convolavit, & in Neapolitano S. Mariae Sanitatis conventu ſacro habitu indutus ab illius Priore P.M.F.Ambroſio Guglielmini die VIII. Januarii MDXCV. eidemque Conventui incardinatus, ſub primoribus noſtrae Congregationis Fundatoribus primitias Spiritus hauſit, atque in ſocietate virorum ſanctitate inſignium ad virtutis metam properavit. Orationi deditus,ſanctis meditationibus ſpiritum reficere, ac animum e terrenis ad coeleſtia evehere conſuevit: Regularis obſervantiae exactiſſimus cuſtos, carnes, nonniſi neceſſitate cogente, comedit: ſilentia, nonniſi gravi excuſante cauſſa, ſolvebat: at cum mulieribus vel conloqui piaculum exiſtimavit virgo ad mortem uſque ab iis, qui eum noverunt, certiſſime habitus. Jejunia ſui Ordinis ad amuſſim ſacrarum Conſtitutionum ſervavit; atque in pervigiliis SS. Auguſtini, & Thomae, quibus eximia erat devotione obſtrictus, pane & aqua contentus, ab omni alio obſonio abſtinebat; & Angelici ſui Magiſtri veſtigia ſecutus,in difficilioribus quaeſtionibus orationi jejunium adhibebat. Studiis addictus, quantum profecerit,ex operibus ſuis bene poteſt dignoſci. Vir quippe acris perſpicaciſque ingenii,ac tenaciſſimae memoriae, praeſertim Verbi Dei ſcripti,ac Patrum, & Eccleſiae Doctorum pervigili aſſiduoque ſtudio deditus, vel integras illorum ſententias, ne dicam paginas, memoriter, nec apice immutato, repetebat. Prudentia, ac dexteritate maxima nitens pluries fuit Superior in Ordine inſtitutus: praecipue ſemel, & iterum fuit a Magiſtro Ordinis creatus Rector Neapolitani Collegii S. Thomae Aquinatis, aliiſque infra laudandis muneribus diſtinctus;regendiſque cathedris adplicitus, primariae etiam Theologicae in Neapolitana Regia Studiorum Univerſitate, omnium ad plauſu commendatus, nunquam potuit adduci, ut ei oblatas infulas adceptaret,lubentiſſime pluries eiſdem nuncio miſſo,hoc unum, nempe, praeceteris cum ſuo Angelico Magiſtro exoptans,ut in nidulo ſuo mori poſſet,& inter ſui Ordinis Fratres valedicere mundo.Opera ab eo edita nedum ab Echardo, aliiſque ab eo laudatis ſcriptoribus commendantur, ſed ab innumeris aliis inſignibus viris,qui in eo doctrinae ſoliditatem, ac eruditionem ſuſpiciunt, qua haereticos confodit ac haereſes ventilavit.

Qui

Qui autem impraesentiarum commendari possunt suorum operum Encomiastae suntex NN. Author Chronici Magistrorum Ordinis (*a*), Michaël Piò (*b*), Joh. Michaël Cavalerius (*c*), novissime vero Hyacinthus Amat de Graveson(*d*), & Jacobus-Hyacinthus Serry (*e*), aliique. Ex Exteris vero Caesar Engenius Caraccioli (*f*), Johannes Morinus (*g*), Johannes Mabillonius (*h*), Fratres de Walemburch (*i*), Aloysius Moreri (*l*), Honoratus Tournely (*m*), aliique pene innnmeri, praesertim quos laudat N. Echardus, cujus integrum subjicimus monumentum ad coronidem actorum & operum tanti viri.

„ Dominicus Gravina Siculus, Caesaris Gravina Privernatis „ filius, Neapoli primam lucem vidit, ut contendit Toppius „ ex Laurentio Crasso in elogiis p. 2. fol. 116. Adolescens Ordi- „ ni nomen dedit in Conventu S. Mariae *della Sanità* vulgo di- „ cto, sicque litteris humanis incubuit, & divinis, ut celeber- „ rimus sua aetate totius Italiae evaserit Theologus, nec minus „ innocentia morum, disciplinae regularis studio, vitaeque „ sanctitate inclaruit. Sacras litteras variis in Conventibus „ Provinciae Regni, & in studio generali S. Dominici Neapolita- „ no interpretatus est: in Capitulo generali Romae 1608. ad „ Magisterium promotus Collegii Theologici Academiae ejus- „ dem Civitatis etiam assumptus fuit Decanus, sed & Romae „ in Collegio S. Thomae (*S. Mariae*) ad Minervam docuit, „ tum Socius Procuratoris Generalis Ordinis F. Marci Maffei de „ Marcianisio, pluriesque coram S.P. Paulo V. ex suggestu ora- „ vit. Neapoli, Panormi, Priverni conciones habuit per „ Quadragesimam, summo ubique cum plausu, & fructu. A Car- „ dinalibus Archiepiscopis Neapolitanis Decio Caraffa, Fran- „ cisco Boncompagno, Ascanio Philomarino Theologus ascitus

„ est

(a) *Anth.Cron.*Cap. XVII. in Nicolao Ridolphi.

(b) *Piò* Lib.I. p.2.

(c) *Cavalerius* Galleria Domenicana T.II. pag.120.

(d) *Graveson* Hist. Eccl. Sec. XVII.

(e) *Serry* Apolog. Pontific. potest. par. 34.

(f) *Engenius* Napol. Sacr. Tom. I. pag.618.

(g) *Morinus* de Sacris Ordinationibus Exercit I.

(h) *Mabillonius* de Studiis Monasticis.

(i) *Petrus & Hadrianus de Walemburch* Tract. VII. de Præscriptionibus cap.3.

(l) *Morer. in suo* M. Dictionar. *Gallice conscripto*.

(m) *Tournely* Curs. Theol. Qu. III. de Sacram. Ordinis.

„ eſt in familiam, & a ſacro Tribunali in Conſultorum numerum aggregatus, omnibus vero in Ordine muneribus proxime ad ſummum functus eſt, Conventus S. Spiritus ad Palatium Prioris, Congregationis ſuae *della Sanità* Vicarii Generalis, Provinciae Regni Prioris Provincialis. Procurator etiam Generalis fuit, Magiſtroque Ordinis F. Nicolao Ridolphi auctoritate Urbani VIII. ab officio ſuſpenſo, eadem auctoritate conſtitutus eſt Ordinis Vicarius Generalis, & ut nihil ipſi deeſſet, abſente F. Michaële Mazarino Sac. Palatii Magiſtro, & huius vices implere juſſus eſt. Tot una ſimul officiis, & ſi annis gravem, non tamen imparem mors intercepit menſe Auguſto 1663. Romae in noſtro ad Minervam Conventu, ubi ſepultus. Eidem ſolemni pompa parentarunt non ſolum Romani, ſed & Neapolitani noſtri Conventus omnes, ipſaque imprimis ejus Civitatis, ac Univerſitatis Facultas Theologica, quae pios defuncti Manes oratione funerali decoravit. Ejus praeter citatos meminerunt Theodorus Valle *huomini illuſtri di Napoli* pag. 330. & *la nuova Città di Piperno* lib. 2. cap. 34. Fontana in *Theatr. & Menument.* ſed & de familiae *Gravina* nobilitate legendi F. Matthaeus Gouſſemont *Martirologe des Chavalieres de Malta littera G.* ſub finem, ubi de Fratre Hieronymo Gravina Equite S. Johannis Hieroſol. circa 1565. Gaddius *de Scriptoribus Tom. I. pag.* 317. ubi de Petro Gravina Poëta inſigni imperante Carolo V. Franciſcus Baronius de Manfredis *Majeſtas Panormitana* lib. 4. ubi Gravinae gentis ſtemma deſcribit *aream ceruleam duplici balteo tranſverſam ſtella argentea ſuperius irradiante*. Mirum vero eſt Virum tot implicitum Eccleſiae negotiis tot & tanta pro Eccleſia ſcribendi tempus habuiſſe. Haec namque ejus opera numerantur, quorum alia typis impreſſa, alia praelo parata in ſcriniis deliteſcunt MSS. nec tamen adhuc numerantur omnia ab ipſo elaborata.

„ I. *Catholicae praeſcriptiones adverſus omnes veteres, & noſtri temporis haereticos: quorum controverſiae ex antiquitate, univerſitate, Patrum conſenſione, S. Thomae Aquinatis doctrina & methodo diſſolvuntur, ac confutantur, Opus XII. Tomis diſtinctum.*

„ Tom. I. *Prolegomena, Sacra Analyſis. De Divina rivelatione.*

„ *tione* . *De principiis Sacrae doctrinae* . *De sacris traditionibus.*
„ Neapoli Secundini Roncalioli 1619. in fol. pag.689.

„ Tom. II. *De verbi Dei scripti, hoc est Sacrae Scripturae*
„ *authoritate, versione, interpretatione, ex antiquitate, universi-*
„ *tate &c.* Neapoli, Lazari Scorrigii 1627. in fol. pag.159.

„ Tom.III. *In quo Patrum auctoritas, praesentium Pasto-*
„ *rum & Doctorum, & ipsius Ecclesiae sensus &c. defenduntur.*
„ I. P. Neapoli Lazari Scorrigii 1630. in fol. pag. 408. Hoc
„ Tom. III. additur *series Episcoporum & Archiepiscoporum Ec-*
„ *clesiae Neapolitanae* .

„ Tom. III. P. II. *De Ecclesiae natura, partibus, seu mem-*
„ *bris, proprietatibus, notis vel signis, dotibus, muneribus,*
„ *& ornamentis* . Ibidem 1632. in fol. pp. 420.

„ Tom. IV. P. I. *De legitimo judicio controversiarum fidei*
„ *divino, & publico magisterio Ecclesiae &c.* Ibidem Jo: Domi-
„ nici Montanari 1635. in fol. pp. 502.

„ T. IV. P. II. *De Patribus in Concilio Oecumenico congrega-*
„ *tis* . Ibidem Scipionis Bonini 1636. in fol. pp. 488.

„ T. IV. P.II. Continuatio *De legitimo, & praecipuo Magistro*
„ *& Judice infallibili Romano Pontifice in fidei, morum, & Ec-*
„ *clesiasticae disciplinae, Canonizationis, & cultus Sanctorum de-*
„ *cretis* . Ibidem Jacobi Gaffari 1639. in fol. pp. 415. Sequentia
„ praelo parata sed hactenus non edita .

„ Tom. V. *De evidentia credibilitatis mysteriorum fidei ca-*
„ *tholicae via offensiva, & incredibilitate sectarum haeretico-*
„ *rum* . *De via ducente ad impossibile* . *Item de argumentis ad ho-*
„ *minem* . *De Ministromachia, moribus, astutiis, & fallaciis hae-*
„ *ticorum* .

„ Tom. VI. *Isagoge Catholicarum institutionum ad cursum*
„ *controversiarum fidei* .

„ Tom. VII. *Dogmatica Theologia juxta S. Thomae summae*
„ *partes distributa adversus metheologiam haereticorum nostri*
„ *temporis praescriptionibus catholicis ex Universitate, antiquita-*
„ *tate, Patrum consensione firmata* .

„ Tom. VIII. *Harmonia synodica cum Angelica Doctrina* .

„ Tom. IX. *Commentaria & Theoriae ad libellum aureum*
„ *Vincentii Lyrinensis contra profanas vocum novitates* .

„ Tom. X. *Scholia, & notae ad summam Fratris Monetae*

„ *Cre-*

„ *Cremonenſis Ord. Praedicatoru n editam adverſus Catharos, &*
„ *Albigenſes , prodromos haereſum proteſtantium ad Proregem*
„ *Neapolitanum Ramirum de Guſman* .

„ Tom. XI. *Turris Libani contra Damaſcum erecta* , *hoc eſt*
„ *S. Inquiſitionis Tribunalis, & Congregationis Indicis propugna-*
„ *culis communita adverſus impios murmurantes* .

„ Tom. XII. *Thronus David de Cathedrae & paſtoralis thro-*
„ *ni reverentia*.

„ Sequentia etiam praelo parata dicuntur.

„ I. *Biga duarum controverſiarum de aſſumptione Deipaare*
„ *D. N. & de catecheſi praemittenda articulo crucifixionis Chri-*
„ *ſti Domini ante baptiſma adulto* .

„ II. *De choro & cantu Eccleſiaſtico ad P. M. F. Sigiſmun-*
„ *dum Ferrarium* .

„ III. *Paraeneſis ad Evangelicos praedicatores pro conteſſe-*
„ *randa ſpiritus unitate in communi gentium meſſe*. Hoc opu-
„ ſculum idem videtur cum mox referendo typis edito *De indi-*
„ *viſa &c.*

„ IV. *Miles delicatus* , ideſt *Guillelmus de ſancto amore in*
„ *Marco Antonio de Dominis Spalatenſi redivivus in arenam a*
„ *S. Thomae diſcipulo expoſtulatus* . Ad M. P. de Canna-
„ dilla.

„ V. *De vero , & nullo modo analogo & methaphorico igne*
„ *purgatorio* .

„ VI. *Lapis heraclius pro diſcernendis veris & falſis revela-*
„ *tionibus , viſionibus , & miraculis* . Videtur non alius ab im-
„ preſſo poſtea referendo ſub titulo *Lapis lydius &c.*

„ VII. *Rejectio memorialis Anonymi ad judices veritatis dire-*
„ *cti pro Venerabilium Patrum defenſione* . Hoc opuſculum cum
„ ſequenti videtur editum in *Cherubim Paradiſi* .

„ VIII. *Anonymus delarvatus , ſeu incognitus , nunc cognitus*
„ *pro Angelici Doctoris defenſione* .

„ IX. *Propugnatio verae carnis, & ſanguinis, & totius oeco-*
„ *nomiae Salvatoris adverſus novas Neoterici cuiuſdam phan-*
„ *taſias* .

„ X. *Quinque diſputationes dogmaticae in materia Conceptio-*
„ *nis B. Virginis adverſus calumnias Lutheri , Calvini, Kemnitii*
„ *Hehſuſii, & aliorum Proteſtantium* .

„ XI. *Puritas illibata & immaculata S. Mariae semper Vir-*
„ *ginis in conceptione filii Dei defensa cum novitiolae matri pater-*
„ *nitatis exclusione.*

„ XII. *De formali constitutivo Religionis adversus Spalaten-*
„ *sem.*

„ XIII. *Tractatus alii contra eundem.*

„ XIV. *Paxarium contra novissimorum sectariorum, qui se*
„ *illuminatos vocabant, errores.*

„ XV. *Propositiones nonnullae mysticorum ad lImam Theo-*
„ *logiae scholasticae examinatae.*

„ XVI. *De vita spirituali, & quinam sint spirituales univo-*
„ *ci, aequivoci, & denominativi.*

„ XVII. *Divina providentia ab impiis vindicata.*

„ XIII. *Pudicitia emollita & evirata suo candori restituta.*

„ XIX. *De simplicitate, & prudentia Christiana in columba,*
„ *& serpenti designata adversus atheos, & filios hujus seculi ad*
„ *M. P. F. Thomam de Sarrios Regentem Coloniensem.*

„ XX. *Homiliae diversae.*

„ XXI. *Consultationes variae.*

„ XXII. *De practicabilibus opinionibus in foro poenitentiali.*

„ XXIII. *Consolatio peregrinationis humanae.*

„ XXIV. *De libertate, & immunitate Ecclesiae contra Hen-*
„ *ningum Halberstadiensem.*

„ XXV. *De superindictis, & vectigalibus.*

„ XXVI. *Selectarum quaestionum scholasticarum Tomus*
„ *unicus.*

„ XXVII. *De clavibus sacrae Scripturae.*

„ XXVIII. *Ad gentilium, haereticorum, & atheorum con-*
„ *versionem catecheses.*

„ Opuscula autem sequentia typis prodierunt.

„ I. *Vox turturis, seu de florenti usque ad nostra tempora*
„ *Sanctorum Benedicti, Dominici, Francisci, & aliarum sacra-*
„ *rum Religionum statu.* Neapoli Secundini Roncalioli 1615. in
„ in 8. pp. 264. Editio altera Coloniae Mich. Dunen 1627. in
„ 24. pp. 586. Editio tertia Coloniae Henrici Krafft 1638. in 4.
„ pp. 139. Hanc Turturis vocem opponit author libello Bellar-
„ mini, cui titulus: *Gemitus columbae*, F. Desiderio Scaglia
„ Cardinali Cremonensi opus nuncupatum. Haec Gravinae

opel-

„ opella ſtantes pro ſuo Bellarmino pupugit adeo, ut ſeptem
„ tamen poſt annos & amplius reſponderint libello anonymo
„ hoc titulo: *Cavea turturi male contra gementem Roberti Car-*
„ *dinalis Bellarmini columbam exultanti Theologo veritatis vin-*
„ *dice ſtructa &c.* Monachii 1671. At illico iterum oppoſuit Gra-
„ vina librum hoc titulo.

„ *Congeminata vox Turturis florentiſſimum ſacrorum Ordi-*
„ *nem ſtatum, diſrupta cavea Anonymi, iterato occinentis. Opus*
„ *e MSS. Tractatibus Gravinianis ab Ill. D. Auguſtino Ardin-*
„ *ghella excerptum, & a Facultate Theologica Parthenopaea Po-*
„ *loniae Regi (Ladislao IV.) dicatum* Neapoli Scorrigi 1633.
„ in 4.

„ Editio altera ex MS. Authoris ſub hoc titulo: *Reſonans*
„ *Turturis concentus Opus a R. P. F. Thoma de Sarria ejuſdem*
„ *Ordinis reviſum, & illuſtratum* Coloniae Henrici Krafft
„ 1638. in 4. pp. 387. Certe quiſque ſuae ſodalitatis ulnera ta-
„ citus defler. contentus eſſe debet; nam ſi cuique in aliorum
„ mala involare, & ea in vulgus propalare licet, quaenam ſocie-
„ tas ab innumeris improperiis immunis erit? Revera Bellarmi-
„ nus, ejuſque Apologiſta in his lucubratiunculis ſuorum famae
„ parum conſuluerunt, & rectius ac felicius abſtinuiſſent.

„ III. *Pro ſacro fidei catholicae & Apoſtolicae depoſito fideli-*
„ *ter a RR. Pontificibus cuſtodito Apologeticus adverſus Novato-*
„ *rum calumnias, & praeſertim noviſſimi Marci Antonii de Do-*
„ *minis Archiapoſtatae Spalatenſis*. Neapoli Lazari Scorrigii
„ 1629. in 4. Editio altera Coloniae Henrici Krafft 638.
„ pp. 215.

„ IV. *Pro ſacroſancto Ordinis Sacramento vindiciae orthodo-*
„ *xae adverſus haereſeologias Marci Antonii de Dominis Archia-*
„ *poſtatae Spalatenſis, in quibus pariter Eccleſiae Latinae cum*
„ *Graeca tam in materia, quam forma concordia demonſtratur.*
„ Neapoli Montanarii & Gaffari 1634. in 4. Editio altera Colo-
„ niae Krafft 1638. in 4. pp. 203.

„ Quatuor mox relata opuſcula edi curavit a ſe recognita
„ F. Thomas de Sarria Ordinis Praedicarorum ſtudii noſtri Co-
„ loniae primarius Regens & S. T. M. quae extant Romae in
„ Caſanatenſi, & Pariſiis apud noſtros ad S. Honoratum cum
„ aliis praelo editis.

„ V. *Che-*

„ V. *Cherubim Paradisi S. Thomas Aquinas charecteribus divinae sapientiae illustratus cum SS. Patribus ab oppositis paraturis vindicatus* . Neapoli Roncalioli 1641. in 4. pp. 589. Adjicitur *Panegyris S. Thomae , & Aquinatum familiae* .

„ VI. *Ad discernendas veras a falsis visionibus , & revelationibus* ΒΑΣΑΝΙΣΤΗΣ *hoc est lapis Lydius*. Neapoli Scipionis Bonini 1638. in 4. in aedibus Regal. S. Dominici P. II. *praxim concernens quomodo verae a falsis revelationibus , & visionibus discerni queant* . Neapoli Roncalioli 1638. in 4.

„ VI. *De indivisa & unanimi sacrosancti Evangelii praedicatione ab orthodoxis , & legitime missis Divini verbi concionatoribus disseminanda pro communi gentium aliorumque infidelium cultura & messe* . Neapoli Bonini in aedibus S. Dominici 1637. in 4.

„ VII. *Vita e miracoli di S. Gregorio Arcivescovo Primate di Armenia cavata da un antico esemplare Latino scritto in lettere Longobarde da Simon Metafraste , e dalla relazione della Cristianità dell' Armenia, posta in luce ad istanza della M. R. S. Madre D. Leonora Pignatelli Abbadessa di S. Gregorio* . Neapoli Scorrigii 1630. Editio altera *a richiesta della M. R. S. D. Beatrice di Somma Abadessa passata* , ibidem Scorrigii,& Hectoris Cicconii 1655. in 4. p. 192. *La parte seconda è dell' origine del celebre Monastero di S. Gregorio di Napoli p.*121. Extat Parisiis in Regia H. 1400.

„ IX. *Summae Theologiae de Aquino compendium rythmicum*. Neapoli Scorrigii 1625. in 12. Opusculum in quo plus salis desideres & acuminis . Editum tamen iterum Barcinone Gabrielis Nunnez 1640. in 16. p. 376.

„ X. *De Christiana Religione in Armenia* . Sic testatur Pius *huomini illustri* p.2. lib. 2. p. 159. Fontana *in monumentis* ad 1604. p. 572. Titulum paulo aliter refert sic : *De Ecclesia Armena , ejusque devotione erga Apostolicam sedem , & de Christianitate illa per Fratres Praedicatores in Ecclesiasticis ritibus directa, & custodita* . Ubi autem editum prodierit opus mihi nondum certum .

„ XI. *Oratio habita Dominica I. Adventus coram SS. D. N. Paulo V. Anno Dom.* 1607. Tum erat Baccalaureus , Prodiit Romae 1607. in 4. extabat apud nostros Florentinos S. M. N.

„ Sic

„ Sic Cinellus *B. Volante Scanzia* 4. p. 48.
„ Aliorum vero quaedam ſuis curis edita prodiere .
„ I. *Quaeſtiones Quodlibetales F.Johannis de Neapol., Sicola „ nuncupati , S.Th.Magiſtri Pariſienſis circa* 1316. *florentis ex „ Codice MS. Bibliothecae S. Dominici Neapoli*. Ibidem 1518. „ fol.
„ II. *Annales Ordinis a F.Thoma Malvenda ſcripti & accu- „ rati*. De quibus ſupra ibid. 1630. in fol.
„ F. Thomas de Sarria ſupra citatus , in praeliminaribus „ ad opus Gravinae *Pro ſacro fidei depoſito* legendus , opera „ omnia , quae ſuperius retulimus ejuſdem Gravinae inedita , „ quaeque MSS. penes ſe habebat , in gratiam rei litterariae „ typis mandare proponebat quamprimum , ſed morte prae- „ ventus promiſſo ſtare non potuit : quod an quis aliquan- „ do exequatur valde incertum , & maxime dolendum . Uter- „ que Petrus de Alva , & de Valle clauſa in Gravinam inſurre- „ xerunt, Ille *in ſole veritatis rad.* 274. *col.* 1908. *& ſeq.* Poſte- „ rior vero *de immunit. Cyriac. p.* 98. 154. *&* 185., ubi eum peſ- „ ſime habet , ſed egregiè refellit Noſter Vincentius Baron „ quarta Parte manud. lib. 1. p. 427. & lib. 2. p. 162. legendus . „ Praeter Toppium in *Bibliot. Neapolit.* p. 72. Videſis Leonar- „ dum Nicodemum *Additioni copioſe* ad eandem *Bibliot. Nea- „ pol.* p. 66. & ſeq.

Praeter laudata MSS. Graviniana ab Echardo recenſita alia penes nos exſtant cum in Bibliotheca Sanitatis , tum in Bibliotheca S. Spiritus ad Palatium , ubi praeſertim exſtat MS. *de Conceptione Deiparae Virginis ad Urbanum VIII.* alieno charactere exaratum , autographum vero ſervatur in Conventu Sanitatis, in cujus Bibliotheca plures exſtant libri , qui fuerunt ad uſum laudati Magiſtri, praeſertim haereticorum , quos ille propriis oculis luſtravit , ut eorum ſphalmata ventilaret .

XXI.

F. Franciſcus Zaccone Neapoli natus ex Patre Catacenſe (ſeu de Catanzario in Provincia Calabriae ulterioris) & reapſe propterea Neapolitanus , ut ipſemet in ſua profeſſione ſubſcribens libro Novitiatus S. Mariae Sanitatis ſe Neapolitanum dicit: quare dum N. Echardus eum Calabrum dicit , de origine ſolummodo eſt interpretandus , ſecus vero de loco Nativitatis eſt intelli-

telligendus, ut ex ejus terminis conligere fas est. Laudatus, inquam, F. Franciscus Zaccone ad habitum Clericalem receptus in Conventu,& pro Conventu Neapolitano S. Mariae Sanitatis die xxvi. Decembris MDCXVI. dubio procul inter Theologos insigniores, ac celebriores Ordinis viros est adnumerandus, ceu ille, qui nedum pietatem, ac rigidiorem observantiam ad mortem usque custodivit: qua de caussa vel grandaevus ac luminibus orbus chorum frequentavit vespere & mane (nocte surgere non valens)illuc alio Fratre ducatum ei praestante,semper adcedens, nec inde quavis ex caussa ad finem usque horarum discessit, quam observantiam pro suo virili promovere studuit praecipue dum sui nativi Conventus S. Mariae Sanitatis Priorem, suaeque Congregationis Vicarium Generalem egit; verum etiam studio sacrarum litterarum, solidiorisque Theologiae, praesertim Polemicae ita insudavit, ut primipilus evaserit Theologiae Magister, doctorali laurea summo jure coronatus; & qui purioris Theosophiae latices pleno pectore biberat, non destitit optimos efformare alumnos, quos fidei vindices adversus heterodoxos in publicam produxit palaestram, ut praesertim videre est in Inlustrissimo Ignatio Fiume Episcopo Polymnianense,& in V. P. M. F. Raymundo Kunrat; ac ita strenue pro orthodoxa veritate pugnavit, ut Romanae communioni quamplures adgregaverit ex eis, qui olim extorres ab Apostolica fide confugerant ad castra Novatorum. Dum enim in Ecclesia S. Mariae Sanitatis ix. Kalendas Martii MDCLVIII. adsistente, ac praesidente Julio Spinula Archiepiscopo Laodicense, atque Apostolico Nuncio, necnon Inquisitionis tunc Generali Ministro, qui postea fuit S. R. E. Cardinalis, adversus omnes acatholicos publiblicam struxit palaestram, atque per suum discipulum F. Raymundum Kunrat (de quo *lib.* 1. est actum) respondentem objectis (cui & ipse ut Regens, & Magister adsistebat) catholica dogmata propugnavit, dissolvitque sophismata haereticorum ad majorem veritatis triumphum proposita primum a duobus insignibus Theosophiae Magistris, Casinate uno, Carmelita discalceato altero, deinde a duobus Germanis Equitibus Alemanicae cohortis Ducibus, apprime in Polemicis eruditis, & tandem a duobus pariter doctissimis Praesulibus Gregorio Carafa Episcopo Cassanense, & Stephano Quaranta Archiepiscopo Ama-

Amalphitano, facile haud dictu est, quam gloriosum reportaverit de inimicis S. Ecclesiae triumphum. Nedum quidem in fide firmati, magisque conroborati, Romano solio veritatis throno adclamarunt ortodoxi quique, qui ad novum invisumque prius certamen confluxere, iique ex utroque Clero insigniores Magistri, & Optimates quique, Togati, Ministri, omnisque conditionis viri, & in tantam effusi copiam, ut augustissimum illud Templum confluentem populum non caperet: quare plebeji nedum, verum & selectiori ex ordine viri, qui serius adventarunt, conscenderunt duas ab utroque latere apertas latasque cochleas ad superiorem principem aram ducentes, suggestum ininsuper, organum, bases & coronas itidem columnarum; tantusque insuper confluxit populus, ut ad reprimendum impetum adventantium, atque sese mutuo urgentium ad ingressum, ut operae praetium fuerit adponere milites Praetoriae cohortis ad custodiam, & repagulum. Omnes, inquam, tanto viro, ejusque discipulo laudes addiderunt, sed, quod majus est, quod optimum, quodve ad gloriam tanti viri facit, nedum bini laudati Germani Equites Alemanicae cohortis Duces evaginato gladio protestati sunt se vitam simul cum sanguine fusuros in confessione catholicae fidei, verum quamplures ex heterodoxis militibus, veritate perspecta, errore cognito, detestati sunt Lutheri, ac Calvini commenta, & professione verae fidei emissa, Romano Pontifici Christi Vicario obedientiam & reverentiam juramento firmarunt. Tantus itaque vir senio confectus meritisque onustus exivit e mundo die XII. Maii An. MDCLXXII. Ecclesiae Sacramentis rite expiatus, ac communitus. In cujus laudem subnectere lubet, quod de eo scripsit laudatus semper N. Jacobus Echard. (a).

„ F. Franciscus Zaccone Calaber, e Catanzaro Civitate sub „ Regiensi metropoli suffraganea, quae Catacium olim dicta, „ originem duxit, & in Congregratione *della Sanità* nuncupata, „ Ordinem amplexus est, plurimumque apud Suos eruditione „ prudentia pietate ac religione claruit. Sacrae Theologiae Ma- „ gister Conventus Neapolitani S. Mariae *della Sanità* dicti „ aliquando Prior, & Congregationis hujus nominis Vicarius „ Generalis, ac studii Regens. Primus omnium Neapoli ma-

(a) *Echardus* Script. Ord. Tom. II. fol. 589.

,, gno concursu, magnoque sui nomine, & gloria publice ad-
,, versus haereticos ipso spectante Julio Cardinale Spinola tum
,, ibidem Apostolico Nuncio conseruit, quasque habuerat,
,, edidit, ita referente Toppio *Bibliot. Neap. p. 97. Conclusioni*
,, *Dogmatiche* Neapoli 1658. in 4.

,, Vita del Servo di Dio F. Leonardo di Lettere dell'Ordi-
,, ne de'Predicatori.

,, Haec ab Alberto Beandaro laudatur in suo *Roseto Ma-*
,, *riano*.

Advertendum porro, quod Echardus e Bibliotheca Neapolitana Toppii Italice conscripta excerpsit titulum Conclusionum Zacconii Italice quoque recensitum. Latino namque idiomate conscriptae laudatae Conclusiones fuerunt typis mandatae, nec semel dumtaxat, Anno, nimirum, MDCLVIII. ut Echardus ex Toppio refert, sed iterum in vulgus fuerunt editae sesequenti Anno MDCLIX. in qua posteriori editione impressae prostant praefationes S. Th. Professorum, qui primitus haereticorum momenta depromserunt in argumentis ab ejusdem elaboratis, ad catholicae tamen veritatis dilucidationẽ, glorificationemque. Exstat itidem in eisdem integra relatio facti, ut a nobis breviter fuit indigitatum; & theses, ut sunt expositae, nimium deserviunt praesertim tyronibus ad memoriam excolendam in Polemicis, quum adversus omnes haereses ab initio Ecclesiae Christi ad sua usque tempora exortas eae sint firmatae, contineantque systemata Vitilitigatorum omnium, quos ille ventilandos susceepit.

Ad amoenitatem, & pietatem, ac excitationem fidelium laudatus Zacconius plures conscripsit sacras comoedias, quas inter emicat illa, cui titulus *Il moribondo*, quae omnes semel in theatro repraesentatae loco ferventissimae sacrae declamationis fuerunt ad spiritualem adstantium profectum. Plura itidem MSS. reliquit, praesertim controversias fidei, quae in Bibliotheca S.M. Sanitatis fuerunt repositae. Ultra Toppium, & Beandarum ab Echardo relatos, alios etiam habuit laudatores Zacconius, praesertim Illustrissimum Marchesium in suo Diario Dominicano (*a*).

XXII.

F. Januarius de Afflitto Neapoli nobili genere ortus, sed no-

(a) *Marchese* Tom. IV. ad diem VII. Julii.

nobiliori praeditus animo,adolescens adhuc, ita viriliter saeculo vale dixit, ut vix xv. expleto anno habitu Clericali indutus in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis die XVIII. Septembris MDCXXXIII. indeque Apostolico diplomate ad ejus vocationem probandam extractus, & in Neapolitano Asceterio Montis Oliveti per mensem detentus,ut ibi periculum de seria ac voluntaria electione status diversimode fieri posset, nullatenus a severioris vitae proposito potuerit dimoveri. Adfiliatus quoque primum Conventui SS. Rosarii Caesarum cum hac expressa conditione, & consensu etiam Fratrum ejusdem Conventus, ut, adcedente calculo filiorum S. Mariae Sanitatis de Neapoli capitulariter praestito, eidem Neapolitano Sanitatis Conventui, quoties vellet, ibi vacante loco,incardinaretur, suam solemnem emisit professionem. Verum vacante loco in laudato Conventu Sanitatis die v. Martii MDCXXXV. praevia licentia F. Nicolai Ridolfi Magistri Ordinis, ac capitulari adceptatione praefati Conventus S. Mariae Sanitatis, eidem fuit adscriptus, & inter filios ejusdem Conventus adnumeratus. Qui autem in sua primaeva adolescentia ita constanter perstitit in virtute, adultior factus,inRegulari observantia,ac in Religiosa perfectione stabilis, nimium profecit; studiisque addictus ad tam nobilem devenit metam,ut ab omnibus ob singularem, qua polluit, eruditionem, fuerit juremerito suspectus: quare ad ejusdem commendationem satis superque erit transcribere, quod de eodem tradidit N. Cl. Jacobus Echard. (a).

„ F. Januarius Maria de Afflictis Siculus, gente Parthenopaeus, in Congregatione Sanitatis, vulgo *della Sanità*, Ordinem amplexatus est adolescens, nec levem sibi fecit eruditionis ac modestiae laudem. Philosophus, ac Theologus insignis, Concionator egregius, Poëta, Historicus, ac Mathematicus omnino clarissimus. Architectonicen, maxime polemicam, egregie percelluit, eaque commendatus sub Johannis ab Austria nothi Philippi IV. Regis, & ex pellice filii vexillis & auspicio, bellicis in expeditionibus egregiam navavit operam, nec se solertem modo muniendis arcibus, & castris exhibuit, sed & vitae morumque puritate, & praestantia, charitate, & modestia spectabilem omnibus, & ama- „ bi-

(a) *Echardus* Tom. II. Scriptor.Ordin.

„ bilem fecit. Ubi vero diutius Austriaco Principi haesisset, tum „ accersitus a Januensis Reipublicae proceribus, iis non parum „ inservivit, ac demum in suum *della Sanità* Conventum se recipiens fato functus, ibidem e vita migravit 1673. scripsit, edi„ ditque in lucem dum in Hispania moraretur, teste Toppio „ in *Bibliot. Neapol.*

„ *De munitione, & fortificatione libros duos*. Matriti in 4. „ quorum alterum Johanni ab Austria nuncupavit. Cum autem „ Januae ageret libros tres. Unum.

„ *De Miscellanei Teologici filosofici, e predicabili*.

„ II. *Della munitione, e fortificatione*, additis etiam *mathe„ maticarum linearum & figurarum iconibus*.

„ Praeter supra relata haec adduntur in *Additionibus co„ piosis ad Bibliothecam Neapolitanam pag.* 85. (nimirum a Ni„ codemo.)

„ I. *Breve Trattato delle medeme fortificationi, cavato da„ gli Originali del P. F. Gennaro Maria di Afflitto Lettore in S. „ Teologia dell'Ordine de' Predicatori matematico già del Rè Cat„ tolico. Al Serenissimo Cosimo III. gran Prencipe di Toscana.*

„ *Florentiae ad Stellam* 1665. *in* 8.

„ II. *Introduzione alla moderna fortificazione cavata dagli „ originali del P. F. Gennaro &c. già Professore delle matemati„ che nel Regal Palagio del Rè di Spagna, e matematico dello „ stesso. Al Serenissimo Ferdinando II. gran Duca di Toscana.* „ Ibidem ex typographia Ducali Evangelisti, & Matini 1667. „ Opusculum primum in lucem edidit Johannes Baptista Ser„ giuliani, alterum Philippus Dominicus Mazzinghi „.

Addendum tamen superest, quod laudatus P. F. Januarius apprime psallere in veteri cythara, veterique Psalterio noverit, ut ex antiquis Patribus, qui eum in vivis agentem noverunt, accepi: verum silentii tempore ab omni etiam secreta recreatione abstinebat, ne Regularem exactam observantiam relaxaret, & dum in Cella extra silentii tempus aliquando ad animi solamen psallebat, clauso ostio, omnem adhibebat artem, ne vel modicum rumor instrumenti musici extra reboaret. Addendum similiter, quod nedum Catholici Regis, ac Januensis Reipublicae, verum etiam M. Hetruriae Ducis laudatus F. Januarius mathematicus fuerit. Addendum insuper est, quod praeter laudata

data

data ab Echardo opera jam typis mandata, alia exſtant in Bibliotheca S. Mariae Sanitatis ab eodem F. Januario compoſita, ſed non dum typis edita, & praeter ea, quae in Hiſpanicam Aulam ex ſuperiori Regio mandato miſſa fuerunt, ſervantur ibidem nedum ad matheſim ſpectantia opera, verum & ad Sphaerologiam, & Geographiam pertinentia, praeſertim vero in praegradi volumine fol. ſequentes Tractatus ad umbelicum reducti *Terra, ſeu quadripartiti Orbis* &c. Tom. 1. *Compendio de la Sfera univerſale* Hiſpanice conſcriptum.

XXIII.

F. Joſeph Stagnari in Civitate Maſſae Lubrenſis in Campania natus ex Patre Neapolitano Johanne Alphonſo Medicinae profeſſore, qui inde Prochydam Inſulam ſui muneris cauſſa divertens ibi ſuos fixit lares, & ex incolatu Patris ejus filius F. Joſeph fuit etiam de Prochyda dictus. Hic, inquam, F. Joſeph Clericali habitu indutus in Conventu S. Spiritus ad Palatium, ibidemque adfiliatus die xxv. Martii MDCXXVII. pietate & eruditione inſignis effulſit. Fuit Prior Conventus S. Dominici de Benevento, Baccalaureus per concurſum (ut ex vetuſto Codice S. Spiritus *pag.* 50. adnotatur, fortaſſe juxta morem illius aetatis, qui o utinam & impraeſentiarum quoque vigeret, ut ſinguli gradus per Concurſum dignioribus conferrentur!) per plures annos in Collegio Montis Dei Regens, ac Rector ſummo jure Magiſtrali laurea decoratus. In edifferendis Theologicis controverſiis tanta enitebat facundia, ac claritate, tanta in conſiliis erat facilitate, ac ſapientia inluſtris, ut ad ejus verba e cathedra loquentis excipienda facillime confluerent plures, & ad eum privatim convenirent innumeri pene, etiam inſigniores Theologi, cauſſa conſilii in dubiis emergentibus, quae feliciter faciliterque diſſolvebat vir eximiae perſpicaciſque intelligentiae, ac ſolidae doctrinae, ex pervigili ſtudio adquiſitae, ſed pietati quam maxime ſocietae: quare omnium ore laudatus, omnibus admirationi factus, inter primores Urbis, ac Regni Theologos ſemper habitus fuit. Podagra ac chyragra per integrum decennium adflictus ſumma patientia acerbiſſimos toleravit dolores, atque coactus decumbere ab oratione non deſtitit vir Religioſus, donec perfecte purgatus in terris animam reddidit Creatori in ſuo nativo Conventu die ix. Martii (non Maii, ut apud Echardum) Ann. MDCLXXIV.

De

De eo autem tale profert testimonium N.Echardus (*a*) F.Jo-
„ sephus Stagnari Siculus, Neapoli oriundus, & Massae Lubren-
„ tium natus, Prochytae vero educatus, unde ei adhaesit agno-
„ men *de Procida*, Ordinem induit Neapoli in Conventu S. Spiri-
„ tus. Vir aetate sua & eruditione in Scholis, & e sacro sugge-
„ stu facundia celebris, omnibusque animi dotibus egregie or-
„ natus, annis pluribus studium Montis Dei nostrum Neapol.
„ rexit primarius professor: in abstrusioribus Theologiae diffi-
„ cultatibus explicandis clarus, in respondendis casibus conscien-
„ tiae difficilioribus cautus & solidus, in doctissimorum virorum
„ consessibus, de quibuscumque ageretur, expedite, & cum
„ omnium gratia disserens. In Comitiis Ordinis Romae
„ MDCLVI. laurea Magisterii decoratus fuit, seu potius in eo
„ gradu acceptatus, ut habetur in Actis pro Congregatione
„ S. Mariae *della Sanità*, obiitque demum in suo S. Spiritus
„ Conventu IX. Maii MDCLXXIV. ingens sui omnibus deside-
„ rium relinquens. Sic Toppius *Bibliot. Napol. p.* 340. addens
„ in suo Conventu praefato S. Spiritus servari.

„ *Plura ejus seu ad Theologiam Scholasticam, seu paraeneti-*
„ *cam spectantia* MSS.

XXIV.

F. Ascanius Maria Crispo Neapoli ex honestissima familia natus, Juvenis adhuc, & vix expleto XV. aetatis suae Anno Dominicanis adlectus in Conventu S. Mariae Sanitatis die XXIII. Aprilis MDCXLIX. & adfiliatus Conventui S. Spiritus ad Palatium in studio litterarum mire profecit. Hebraice, & Latine doctus, ac in nobilioribus studiis cum Philosophiae, tum Theologiae, ac Historiae, praesertim Ecclesiasticae, apprime eruditus, inter insigniores suae aetatis viros meruit percenseri, ac nimia claritate pollens ingenii, acumine vigens, ac facundia decorus Philosophum ac Theologum in Ordine, nec sine laude, egit, praesertim in suo Conventu *S.Spiritus decem solidis annis Theologiam docuit*. In Collegio Montis Dei per biennium Studentium Magistrum egit, & triennio Baccalaurei Ordinarii munus exercuit, esto ad lauream Magisterii loco, haud vacante, & morte praeventus minime pervenerit, qui revera Magister erat, licet honoris tessera non insignitus. Regularis observantiae cultor a studiis num-
quam

(a) *Echardus t.* 2. *fol.* 655.

quam abſtinuit, & qui etiam in Exegeticis, ac Paraeneticis, aliiſque id genus fuit inſignis, in pietate ac devotione obſcurus non fuit. Ter Socius Vicarii Generalis ſuae Congregationis delectus omnibus ſe amabilem reddidit, ſuique Conventus Prior unanimi ſuffragio electus XIII. Septembris MDCLXXVII. pacifice nimium rexit eum: quare deſiderium reliquit omnibus eum habendi Superiorem; ſed majus certe omnibus exteris etiam ſui deſiderium reliquit, qui non ſine moerore omnium vivere mundo deſiit, ſed Sacramentis Eccleſiae munitus non ſine verae pietatis indiciis diem clauſit extremum in Conventu S. Mariae Sanitatis die XXIX. Auguſti MDCLXXXIV. Plura ſui ingenii monumenta reliquit, quae typis committere non potuit morte praereptus. Sed heu! heinc dolor ex incuria Fratrum. Multa ejus opera perierunt, quae procul dubio ſi nunc exſtarent, non ſine Fratrum ſuorum beneficio, in laudem tanti viri ac noſtri Ordinis cederent, quae aliorum gloriam nunc exaltant, quorum nomine inſignita prodierunt in vulgus. At quomodo in extraneorum manus pervenerint tanti viri MSS. jam typis ſub aliorum nomine edita, percenſere taedet, eſto indignabundus noſtrorum oſcitantiam digito monſtrem, ne proprium cogar renovare dolorem. Satis ſit indigitare id eveniſſe ex incuria nimiaque ſimplicitate ac ignavia illius temporis Prioris noſtri Conventus. Quae autem ſciri poſſunt opera ab eodem lucubrata, & ſi non omnia, dabo ex N. Cl. Echardo, qui tale de noſtro Aſcanio teſtimonium perhibet (*a*) eruditiſſimi Toppii (*b*) monumento vallata.

„ F. Aſcanius Maria Criſpo Neapolitanus, Conventus S. Spi-
„ ritus ad Palatium alumnus, vir omnigena eruditione praeſtans,
„ variis in locis Philoſophiam ac Theologiam, ac praeſertim
„ Neapoli, ubi quindecim annis profeſſus eſt. Eccleſiaſtes
„ aeque facundus ac ſummus Theologus florebat etiam num
„ Anno MDCLXXVIII. ſui Conventus Prior. Sic Toppius in
„ *Bibliot. Napol.* ubi & teſtatur ejus cum laude meminiſſe Ber-
„ nardum Juſtiniani, Abbatem Michaëlem Juſtiniani in ſuo
„ Concilio Tridentino, Johannem Germanum in Apologetico
„ hiſtorico SS. Pontificum. Edidit.

„ *Con-*

(a) *Echardus Tom. II. Sript. Ord. p. 675.*
(b) *Nicol. Topp* ... Bibliot. Napol.

,, *Conclusiones de sacra Scriptura* Neapoli Jo: Francisci Paci
,, 1673. in 4.

,, Praelo vero parata tunc habebat sequentia.

,, 1. *Philosophiae, ac Theologiae volumina quatuor.*

,, 2. *De sacra Scriptura more scholastico vol. unum.*

,, 3. *Molti scritti di Prediche, e d' Historie dell' Ordine de'*
,, *Predicatori, e di altri del Regno di Napoli, e di genealogie, e*
,, *nobiltà varie.*

,, 4. *Delle grandezze incognite dell'Ordine de' Predicatori.*

,, 5. *Cronica della sua Congregazione della Sanità.*

In Bibliotheca nostri Conventus S.Spiritus impraesentiarum solum exstat ejus Opusculum *De Coelo & Mundo* magna eruditione refertum, optimis iconibus ornatum, quod revera praelo dignum censetur,ut vel obiter potui idem lustrare.

XXV.

F. Gabriel Marletta ingenuam indolem,animam bonam, & nobile cor sortitus in humili loco, humilique progenie, Ortus quidem in Castro S. Mariae ad Vicum Terrae Argentii (vulgo *Arienzo*) in Dioecesi S. Agathae Gothorum, in Provincia Terrae laboris, Clericalem habitum induit in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis, sed pro Conventu in suo nativo solo exstante, unde Castrum illud nomen accepit, nimirum, S. Mariae ad Vicum, & ad probationis annum fuit admissus die VII. Februarii MDCXXXVI. Sub magisterio V. P. F. Calixti de Marthenisio (de quo *lib.* I.) sibi ad perfectionis culmen semitam stravit, & devotioni addictus nimium profecit, nec a studio litterarum procul abiit, qui veri Dominicani partes obire sategit; & quamvis sub initium mentis hebes,& ingenio tardus videretur ob carentiam linguae Latinae, qui barbare nimis erat in grammaticis dumtaxat instructus, improbo tamen adhibito labore & perfectam sibi comparavit Latinitatem, & Philosophicis ac Theologicis lucubrationibus ita ex animo operam dedit, ut diu noctuque iisdem incumbens,adhuc juvenis inter primores harumce scientiarum Magistros sibi locum vindicarit: qua de caussa PP. S. Mariae Sanitatis hujusce viri probitate, doctrina, ac suavi conversatione imprimis adlecti sibi sociandum, & inter filios ejusdemmet Conventus adnumerandum, Apostolico praevio consensu, curarunt, quod & factum est die XVI. Decembris An.

An. MDCL. (ita autem eidem Conventui gratus ac proficuus fuit, ut ex operibus & muneribus, quae actutum laudabimus, in exſtructionem marmoreae cochleae a ſolo Eccleſiae ad chorum uſque ſuperiorem, & aram Principem illius Eccleſiae, ex vario marmore affabre peractae tria millia ducatorum regni contulerit) Cumque per omnes gradus viam ſibi ad gloriam feciſſet, omnium plauſu fuit inſtitutus S. Th. Magiſter.

Qui autem in ſpeculativis controverſiis ita erat adtritus, atque inſignis, inluſtris quoque fuit in paraeneticis, myſticis, ac moralibus diſciplinis, tantaque ſuavitate, vel ad populos conciones, vel ad crates ſermones, vel in Capitulo exhortationes ad Fratres habere conſuevit, ut omnium animos ad ſe adtrahere, eorumque adfectus ſibi devincire potuerit. Regularem obſervantiam, quam ſemper pro viribus coluit, magna comitate a Dei zelo tamen haud ſejuncta, eximiaque prudentia ſociata promovit, pluribus in Ordine exercitis muneribus, nimirum, Magiſtri Novitiorum, Prioris Conventuum S. Spiritus, Monaſteriorum S. Catharinae Senenſis per triennium, ac SS. Petri & Sebaſtiani per integrum ſexennium, Rectoris Collegii Montis Dei, necnon Vicarii Generalis ſuae Congregationis. Verum tot tantiſque detentus curis, a ſeriis peculiaribuſque lucubrationibus adhuc poſt lauream haud deſtitit: heinc plura ſui ingenii cum edita, tum MSS. monumenta reliquit, quae poſt pauca etiam ex teſtimonio N. Echardi recenſebo; quamvis ex hiſce tam ſeriis improbiſque occupationibus ſibi breviaverit vitam glorioſa morte commutandam, atque poſt funus aeterna laude decorandam. Calculorum morbo diu adflictus, ſed patienter nimis tolerato dolore, tandem obdurato in veſica lapide ponderis unciarum undecim (ut ex ejus cadavere poſt mortem extractus, & in ſtatera adpenſus tanti ponderis fuit repertus, exſtatque adhuc in pharmacopaea Conventus S. Mariae Sanitatis) ſexaginta natus annos, in eodem Conventu principe decumbens, moerentibus cunctis, ipſe ſolum inter acerbiſſimos cruciatus divinae voluntati conformis, Sacramentis Eccleſiae magna devotione munitus, pluribuſque ſuae virtutis in extremo morbo exercitis actibus, placida morte obdormivit in Domino die XI. Novembris MDCLXXX. poſt ſe relicta probitatis, ac doctrinae fama, quam uſque in hodiernum diem commendant nedum Noſtrates,

 prae-

praecipue Seraphinus Montorio (*a*),& Raphaël Philamundus (*b*), verum & Exteri, qui eum noverunt, aut ejus opera lustrarunt, praecipue, Nicolaus Toppius, ex quo Jacobus Echardus tale de tanto viro praestitit testimonium (*c*).

„ F. Gabriel Marletta Siculus, Argentinensis patria, ver-
„ nacule *d'Arienzo* in regno Neapolitano, Congregationis *del-*
„ *la Sanità* alumnus insignis, & Theologus eximius, cujus
„ meminit Toppius *Bibliotec. Napolit.* clarebat hoc Anno
„ MDCLXXVII. quo jam ediderat.

„ *Commentariorum, seu scholasticarum controversiarum ad*
„ *primam partem D. Thomae septem tomos in* 8. Primum Neapoli
„ Castaldi 1662. Alterum & tertium ibidem 1663. Quatuor se-
„ quentes ibidem Hieronymi Fasuli 1667. Tum & praelo para-
„ tos jamque suis approbationibus munitos habebat prae ma-
„ nibus.

„ *In primam secundae, & secundam secundae tomos duos*.

Exstant hi cum reliquis ejus MSS. in Bibliotheca S. Mariae Sanitatis.

XXVVI.

F. Philippus Incenso Tarenti ortus, & primum in Congregatione S. Marci Gavotorum in Regno Clericali habitu indutus, ibique diu exercitatus ad nostram Congregationem convolavit dum Regentis munus obiret in Coenobio S. Dominici de Neapoli Provinciae Regni principe Conventu, die videlicet XIV. Martii MDCLXVI. annuente praesertim, ac licentiam lubentissime indulgente P. M. F. Gregorio Areylza Apostolico tum Visitatore ex facultate sibi facta ab Alexandro VII. R. P. & fuit Collegio Montis Dei incardinatus (ut ex authentico Codice ejusdem Collegii *pag.* 112.) Vir certe fuit eximii ingenii, Orator, Poëta, Philosophus, sed praesertim in Theologicis studiis magni nominis; & ex eo praecipue, quia in explicandis abstrusioribus Scholasticae Theologiae quaestionibus, quas exacte scrutabatur, mira claritate pollebat: quare post inferiores gradus ad amussim Constitutionum Ordinis conscensos Magisterii lauream promeruit, qua insignitus per plures etiam annos Regentem Studiorum egit in pluribus Collegiis, praesertim nostris S. Mariae Sani-

(a) *Montorio* Zodiaco Mariano pag. 195.
(b) *Philamundus* Viaggio di Tartaria pag. 363.
(c) *Echardus* Tom. II. Script. Ord. fol. 676.

Sanitatis primum, deinde & tertium in ſuo Montis Dei, cui praeſedit in munere Vicarii, deinde Rectoris. Ad eum propter ſingularem in Theologicis eruditionem, ac in Ethicis, & Aſceticis exercitationem confluebant nedum ex urroque Clero ſelecti Sacerdotes ac Magiſtri, verum etiam doctiſſimi quique Regni noſtri Praeſules, praeſertim Johannes Caramuel bene cunctis notus, & N. F. Vincentius Urſinus tum Archiepiſcopus Beneventanus, qui deinde fuit Summus Pontifex Benedictus XIII. dictus. Fuit etiam vir integerrimae converſationis, ac eximiae ſimplicitatis: maxima fulſit devotione, praecipue erga Deiparam Virginem ſui Tutelarem ſelectiſſimam, erga quam maxima veneratione fervebat: qua de cauſſa & proprer vitae innocentiam, & doctrinae excellentiam fuit inſtitutus Vicarius Generalis noſtrae Congregationis. Anno demum aetatis ſuae LXXXIII. Salutis vero humanae MDCLXXXIX. Adgregationis noſtrae Congregationi XXIII. die XIX. Februarii pie religioſeque defunctus eſt in oſculo Domini Sabbato Deiparae ſacro, ut praedixerat, in ſuo Collegio Montis Dei, cui benemeritus nimium fuit, praecipue ex magna ſelectorum librorum copia, qui poſt ejus obitum in ejuſdem Collegii Bibliotheca fuerunt repoſiti: heinc poſt ejus obitum PP. illius Collegii in memoriam tanti viri, ac in grati animi argumentum ad fores ejuſdem Bibliothecae imaginem ejus tela depictam cum adjecto elogio adpoſuerunt. Plura reliquit ſui ingenii monumenta, prae ceteris vero integrum Theologiae Scholaſticae curſum ad limam plene probatum, ac praelo paratum. Laudatur a Nicolao Toppio (*a*), ex quo N. Echardus eundem ſuſcepit laudandum. Verum, quia Gallus ſcriptor, vir alioquin doctiſſimus, non plene rerum noſtrarum gnarus, aliqua adjecit, quae explicatione egent, nec ad limam Toppius reduxit, ex quo ille tranſcripſit, ex jam dictis interpretare, quae de N. Tarentino ſcribit circa ejus profeſſionem in noſtra Congregatione. Sic enim de eo ſcribit.

„F. Philippus Incenſo Tarenti in magna Graecia ortus, „Congregationis *della Sanità* inſignis alumnus, in Conventu „Montis Dei Neapolitano ad Ordinem aſcitus & profeſſus, Se„culo XVII. claruit, vir omnium partium, Orator, Poëta, „Phi-

(a) *Echardus Tom. II. Scriptor. Ord. pag. 548.*

„ Philosopus, Theologus. Hic annis xx. solidis in celebriori-
„ bus Provinciae Regni Siciliae scholis Regentis munere fun-
„ ctus est, cum summo auditorum, non solum nostrorum sed & ex-
„ terorum plausu, & concursu. Sic Toppius *Bibliot. Napol.*
„ p. 340. a. Qui quidem typis ab eo edita nulla memorat, sed
„ *Commentaria Theologica MSS.* ab eruditis exquisita, & pas-
„ sim manibus versata laudat, & ex modo loquendi auctorem
„ a se cognitum indicat, & seculo XVII. clarum.

XXVII.

F. Gregorius Areylza, de Arosteguì, de Vermero, origine Cantaber, genere nobilis, Neapoli natus, & ingenue educatus anno aetatis suae XXII. in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis a cl. m. P. M. F. Dominico Guglielmino ad habitum, & probationis annum admissus die XVIV. Martii MDCXXXI. & Conventui S. Spiritus adfiliatus, Regularis observantiae semetipsum insigne exhibuit specimen, ac devotionis exemplar. Studio litterarum, ac orationi mentali aeque addictus, pietate, & eruditione conspicuus effulsit. Nonnisi Dei gloriam prae oculis habens, disciplinam Monasticam, quam semper retinuit, promovere curavit, & semetipsum despicere studuit, Principum favore contemto, recusatisque etiam Insulis Episcopalibus ab eisdem oblatis. Post expleta curricula studiorum Ordinis, etiam in munere Regentis, quod in Conventu Sanitatis obivit, & subesse ex animo optavit, & praeesse aliis, ex obedientia coactus, non recusavit, semper corde humilis, propriaque voluntate nudatus. Nec uni dumtaxat Conventui, aut suae Congregationi solummodo praefuit in muneribus ab eo exercitis, quibus sanctiorem observantiam, morum reformationem, studiorum incrementum, Ecclesiasticam politiam, aut promovit, aut introduxit; utque sarta tecta custodirentur cuncta ad bonum Ordinis, & Religiosorum pertinentia, sanctas leges dedit, easque omnes locorum conditioni aptatas, ac congruentes: quare usque in hodiernum diem ejus regimen ab iis omnibus, quibus praefuit, commendatur. Praeter ea munera quae in eo percenset Echardus, alia enumerare fas est, quae aut ille in unum fuit complexus, aut non plene expendit. Fuit in nostra Congregatione Magister Novitiorum primum, deinde Prior in primario Conventu Sanitatis, & in suo nativo Conventu S. Spiritus, & bis Vicarius Ge-

ne-

neralis ſuae Congregationis, fuit etiam Viſitator, & Commiſſarius Generalis Provinciarum Regni, Apuliae, Calabriae, Aprutii, & ter Siciliae, ſive Trinacriae; Vicarius hoſpitii Romani, Prior Provincialis Regni, Apuliae, & Tinacriae. Socius primum F. Dominici de Marinis Vicarii Generalis Ordinis, eoque ad Archiepiſcopatum Avenionenſem adſumto, fuit deinde ſocius M. Ordinis F. Johannis Baptiſtae de Marinis, a quo fuit etiam renunciatus Provincialis Terrae Sanctae. Ut vero ſuae Congregationi potiſſimum proficeret, decem & octo millia ducatorum profudit in dilatationem fabricae Collegii Montis Dei, cui & ſacram ſupellectilem donavit, ex pecunia nimirum ſibi comparata ex Principum eleemoſynis, ex pretio librorum, quos edidit vendiditque; ſed praecipue ex eleemoſynis, iiſque uberrimis pro Miſſis, quas ab Indis, dum Provincialem ageret Terrae Sanctae, ſponte oblatas excepit, utque ſuae Congregationis Collegium iſtud peculiari potiretur honore, a R. Pontifice Breve obtinuit, quo conceditur Vicario Generali ejuſdem Congregationis, ut ex plenaria ſui poteſtate Rectorem eidem Collegio praeficere poſſit. Suo etiam nativo Conventui pecuniam omnem, quam reſiduam habuit ex magna illa impenſa pro Collegio Montis Dei, lubentiſſime donavit, ſibi nihil reſervato, qui ſemper rigidam cuſtodivit paupertatem: quare in ejus obitu praeter libros, laceraſque, ac obſoletas veſtes, quibus utebatur, nonniſi unius julii Romani valoris, ſeu tredecim Regni aſſium argentea moneta fuit in ejus Cella reperta, nec niſi unum novum linteolum ad emungendas nares, paulo ante ſibi ex licentia comparatum, fuit ibi conſiderare pretioſum. Et quamvis juxta leges depoſiti nobis conſueti, ac Sacrorum Canonum diſpoſitionem permiſſi, aliquando in communi capſa pecuniam reſervaſſet, in bonum commune eam ſemper ac ſolummodo cuſtodivit, ita alienus ab omni cupiditate terrena, ut in obitis ab eo tot annorum curriculo muneribus nec obulum quidem a quoquam acceperit, qui nunquam poſt aurum abiit, qui extraneorum interceſſiones haud adhaeſit, ſed D.O.M. ſolum prae oculis habens illius honorem pro ſuo virili ſemper zelatus, juſtitiam, rectitudinem, aequitatem, Ordinis decorem, & animarum ſalutem ſemper intendit. Puritatem cum animae, tum corporis ad mortem uſque ſervavit, modeſtiam maximam retinuit, cujus cauſſa nec in extrema infir-

firmitate, ac necessitate sui corporis secretiores partes a Medicis observari permisit, eligens potius mori, quam modestiam labefactare, & dolores maximos ex urinae detentione, ac carnositate provenientes lubentissime tolerare, quam jacturam fecere, ut pertimescebat, suae modestiae semper summo zelo custoditae. Verbo & exemplo cunctis ita praeluxit, ut omnium ore, etiam post funus, meruerit commendari. Satis autem sit impraesentiarum transcribere quod in ejus encomium N. Jacobus Echardus postero rorum memoriae consignavit (*a*).

„ F. Gregorius Areilza Siculus, Parthenopaeus patria, Ordini adoptatus est ibidem in Coenobio S. Spiritus, virque evasit magnarum partium. Post plura obita scholarum, & Conventuum regiminis munera, administratis etiam primum titulo Vicarii, tum etiam Prioris Provincialis Regni, Regni Siciliae, & Apuliae, inter haec ob singulare disciplinae Regularis studium a Magistro Ordinis Jo: Baptista de Marinis in partem sollicitudinis assumptus, & socius titulo Provincialis Terrae Sanctae allectus est, quo nomine Comitiis Ordinis Romae Anno MDCLVI, & iterum Anno MDCLX. habitis affuit, & diffinivit, & tantam sui fecit praeclaris dotibus existimationem, ut & ad aulam Hispanam permearit. Hinc Rex Catholicus Carolus II. fulgentem hanc lucernam non sub modio deserendam, sed super candelabrum erigendam recte existimans, Arianensem ei Ecclesiam diplomate Régio Anno MDCLXXXVII. dato contulit. At vir humilitate, quam aliis, quas in eo suspiciebant omnes, virtutibus major, aliunde professioni suae addictissimus hanc infulam constanter detractavit. Obiit Neapoli in domo sua nativa plenus dierum Anno MDCXCI. die 4. Februarii, fuitque in communi Sodalium Coemeterio sepultus. Tractatus plures Asceticos scripsit ac edidit, quorum hi tituli.

„ *Stimoli alla sacra solitudine*. Neap. 1677. in 8.

„ *Il Tesoro nascosto*. Ibidem 1681. in 8.

„ *La Spositione del Pater noster*.

„ Hic MS. relictus, & apud suos servatus. De eo legendus Jo: Michaël Cavalieri Sodalis nella Galleria de' Pontefici Domenicani Tom. 2. p. 142. & seq.

Ex-

(a) *Echardus* Tom. II. Script. Ord. pag. 718.

Extant etiam ejus Ordinationes pro Provincia Apuliae, & pro Congregatione Sanitatis typis mandatae. Et ultra editionem *della Sacra solitudine* ab Echardo adnotatam, adest altera editio Neap. itidem 1685. in 8. typis Josephi Roselli.

XXVIII.

F. Romualdus Cioffo in Oppido S.Mariae ad Vicum Terrae Argentii (de quo supra in Gabriele Marletta) natus, in Napolitano Conventu S.Mariae Sanitatis habitum Clericalem induit die VII. Februarii MDCXXXVI. & Conventui nativi sui soli S. Mariae ad Vicum fuit adsiliatus, quamvis ex speciali gratia S. P. Alexandri VII. ejusque facultate concessa Magistro Ordinis F. Johanni Baptistae de Marinis, die XX. Januarii MDCLVII. fuerit adgregatus Conventui S. Spiritus ad Palatium, illiusque filiis adsociatus. Morum probitatem singulari in scholasticis eruditioni adjunxit: quare spectabilem se reddidit cunctis. Toto quippe suae vitae tempore, etiam post Magistralem lauream adeptam Cathedris in Ordine regendis addictus, praesertim XXII. continuis annis Regentis munere functus, nunquam potuit adsumi ad munus Superioris in Ordine obeundum. Dum vero a studiis cessavit, in morbum incidit, & e cathedris ad lectum transiens, podagrae, ac chyragrae doloribus duodecim annorum spatio cruciatus, iisque summa tolerantia exceptis, e lecto ad feretrum discessit, nec sine lacrymis suorum, quibus ea potissimum in infirmitate se praestitit virtutis exemplar. Summa quippe patientia atroces perferens dolores, Deoque semper semetipsum commendans, & Crucifixo Servatori, quae patiebatur tormenta, offerens ad pretiosam mortem sibi viam stravit, quam laetus adspexit Sacramentis Ecclesiae devote sancteque munitus die XXIV. Aprilis MDCXCI. & in communi coemeterio Conventus S. Spiritus fuit sepultus. Laudatur a Nostratibus, praesertim a Seraphino Montorio (*a*), & a Jacobo Echardo (*b*); commendatur quoque a Nicolao Toppio (*c*), ex quo laudatus Echardus ita eum encomio commendavit.

„ F. Romualdus Cioffo Siculus Civitate vulgo *Arienzo* or-
„ tus, Conventus S. Spiritus Neapolitani alumnus, primi no-
„ minis Theologus XXIII. annis solidis e superiori loco legit
„ va-

(a) *Montorio* Zodiaco Mariano p.195.
(b) *Echardus* T.II.Script.O.d. fol.677.
(c) *Toppius* Bibliot.Napol.

" variis suae Congregationis *della Sanità* dictae studiis, sex que
" annis continuis studium Generale Montis Dei Neapoli rexit.
" Sic Toppius *Bibliot. Napol.* qui videtur Romualdum adhuc
" Anno MDCLXXXVIII. viventem indicare. Nulla quidem ejus
" typis edita refert opera, sed
" *Tractatus ejus Theologicos MSS.* passim studiosorum ma-
" nibus versari testatur.

Tractatus hosce ego legi adhuc exstantes, & revera digni sunt, qui ab eruditis commendentur, praesertim ex claritate, acumine, & profunditate; & quamvis Scholastico stylo conscripti, inter plures, qui circumferuntur, id genus Tractatus, quin insuper multos inter, qui sunt publici juris facti, singularem promerentur adprobationem & laudem: qua de caussa jure summo a Toppio fuit Neapolitanae Bibiiothecae adscriptus, & inter Theologos primi nominis adnumeratus.

§. XXIX.

F. Marcellus Barone, *Neapolitanus* dictus a N. Jacobo Echardo (*a*), & a me pariter ita distinctus in Auctario N. Xysti Senensis (*b*), ex ejusdem Echardi, cui fidem praestiti, relatione; verum re penitius perspecta, & veritate facti clare cognita, Aversanus dicendus, Aversae namque in Campania, octavo ab Urbe nostra lapide natus ibi suos lares habuit, ut ex Libro II. Novatiatus S. Mariae Sanitatis *fol.* 205. & die VII. Novembris MDCLV. in Neapolitano S. Mariae Sanitatis Conventu ad habitum receptus pro Conventu SS. Rosarii Barrae, deinceps vero ex speciali gratia R. Pontificis adgregatus filiis laudati Conventus S. Mariae Sanitatis, Theologiae laurea post omnes scholasticos agones pro merito decoratus, sui nominis gloriam latius ex feriis studiis, altiorisque momenti lucubrationibus, praesertim in Divinis scripturis perlustrandis, dilatavit. Magnam itidem coluit paupertatem, ac sacrarum legum observantissimus, earum custodiam maxime promovit in munere Prioris sui Neapolitani Conventus S. Mariae Sanitatis, promovitque in munere Vicarii Generalis Congregationis S. Marci Gavotorum in Regno. Prioris munus itidem obivit in Neapolitano Monasterio S. Catharinae Senensis. Ad amoenitatem quoque Musas colere non destitit,

qui

(*a*) *Echardus* Tom. II. Script. Ord. fol. 737.

(b) *Bibliothec. Xysti Tom.I. editionis nostrae* fol. 547. col. 1.

qui solitudine nimium detinebatur : haeinc inter haud ignobiles sui temporis Poëtas fuit a Nostratibus recensitus . Plenus autem dierum in laudato Neapolitano Sanitatis Conventu Sacramentis de more expiatus pio obitu religiosam vitam coronavit Ann. MDCXCIX.

Sui igenii monumenta reliquit pridem publici juris facta, nimirum .

De exacto annorum numero a mundi creatione opusculum chronologicum Neapoli 1694. in 12.

Hoc solummodo ejus opus ab Echardo (*ubi supra*) commendatur , sed praeterea extat aliud ejus opusculum Neapolitanis quoque typis editum , cujus titulus est

Rime sacre. Neap. Antonii Bulifone 1678. in 12.

XXX.

F. Octavianus Bulgarini Siculus Anno Domini MDCXLI. Ciminae natus , & sub dimidium Decembris MDCLVIII. in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis candidatus, die vero XIX. Decembris MDCLIX. antequam per solemnem professionem se Deo sacraret,Conventui S. Spiritus ad Palatium adscriptus, & adfiliatus,ut ex Regesto ejusdem Conventus *fol.* 104. Virtuti animum serio adplicuit , ac studio litterarum sedulam navavit operam , exactaeque Regulari observantiae , quam semper ex animo servavit , promovitque , comitatem, benevolentiam , ac caritatem haud modicam adjunxit : quare omnibus se amabilem , Deoque carum exhibuit , & ex eruditione haud modica,nobili suavique conversatione sociata magnam sibi promeruit famam : utque ejus acta alieno testimonio firmata magis magisque propatula fiant , rem totam,quamvis nimium strictim,ex Panormitano insigniCanonico Antonino Mongitore in sua *Bibliotheca Sicula* traditam , & cultiori stylo a N. Cl. Jacobo Echard recensitam in medium producere lubet , paucis adnotatis ad litterariae historiae crisim exactam . Ita enim de eo scripsit Echardus (*a*) .

„ F.Octavianus Bulgarinus Siculus Ciminae oppido Dioece-
„ sis Panormitanae natus mense Octobri MDCXLI. literis hu-
„ manioribus Panormi liberaliter excultus , ubi aetatis XVII.
„ attigit F.Gregorio de Arcylza Visitatori in Provinciam insulae
„ Siciliae Roma misso , & Ciminam comode aggresso deside-

 „ rium,

(*a*) *Echardus* Tom. II. Script. Ord. fol. 783.

„ rium, quod a puero gestabat, Ordinem Praedicatorum am-
„ plectendi, aperuit, & ut erat adolescens ingenuis moribus,
„ & praeclaris ingenii dotibus ornatus, ita ei placuit, ut ab eo
„ Neapolim ductus sit, & in Coenobio S.Mariae *della Sanità* ve-
„ ste Dominicana indutus. Qui deinceps in studiis ita eminuit,
„ ut per omnes Scholae gradus Magisterii meruerit honores ipsi
„ anno MDCXC. collatos. Ad varia etiam regiminis munia in
„ primis S. Spiritus, & Montis Dei, & S. Catharinae Monialium
„ electus ita omnibus se probavit, ut sua Congregatio *della Sa-*
„ *nità* Vicarium Generalem, & tota Regni Siciliae Provincia
„ Praepositum habere voluerit. His omnibus muneribus rite ad-
„ ministratis Anno MDCXCVIII. in domum S.Spiritus Neapoli-
„ tanam secessit, sibi uni deinceps vacaturus, in qua tamen
„ otiosus non stetit, piorum quorundam ex nobilibus ejus Civi-
„ tatis sodalitium assumere coactus, omnes ad Evangelicam per-
„ fectionem anhelantes per rectam & arctam Evangelii viam de-
„ ducens se ipsum vitae integritate inculpatis moribus, discipli-
„ nae Regularis severiori observatione singulari ad omnes huma-
„ nitate perfectum & absolutum praebens virtutis exemplum.
„ Sic de eo Antoninus Mongitore *Bibliothec. Sicul.* Addens An-
„ no MCCII. adhuc in vivis fuisse, & in his versari.
„ Scripsit

„ *Vita del P.M.F. Domenico di S.Tomaso dell'Ordine de' Pre-*
„ *dicatori, detto prima Osmanno figliuolo di Ibraim Imperador de'*
„ *Turchi, bambino preso da' Cavalieri Maltesi in pugna navale, e*
„ *e poi allevato nella fede Cattolica, e battezato e fatto Domenicano.*
„ *Aggiungesi la genealogia degl' Imperadori Ottomani* Neapoli Jo-
„ seph Roselli 1684. in 4.

„ Iterum ibidem Michaëlis Aloysii Mutio 1698. in 12. Prior
„ editio extat Romae in Casanatensi. Non leve est ejus operis
„ elogium in Actis eruditorum Lipsiensium mense Decembri
„ 1690. pag. 601.

Ex his autem, quae Cl. Mongitore, & ex eo N. eruditissimus Echardus tradidit, aliqua sunt corrigenda, & imprimis, quae de ejus protracta vita scripsit, nimirum Anno MDCCII. adhuc superstitem fuisse N. Bulgarinum, quum triennio ante obierit, die, nimirum, VI. Martii MDCXCIX., ut constat ex Necrologio Conventus nostri S. Spiritus: fortasse autem ad laudatos Scripto-

res

res obitus ejus notitia haud pervenit. Similiter, quae laudatus Mongitore, & ex eo Echardus tradunt de regimine noſtri Bulgarini in Provincia Siciliae, Nobis, Noſtriſque ignota penitus exſtant, ut excepi a Senioribus, qui adhuc ſuperſtites ſunt, & laudatum Bulgarinum familiarem, & Sodalem, dum in vivis erat, habuerunt: Addendum porro, quod ejuſdem Bulgarini opus tertium quoque fuit Neapolitanis typis commiſſum, nimirum, Anno MDCCVIII. ejuſdem Michaëlis Aloyſii Mutio.

XXXI.

F. Gabriel Valentino Parthenopaeus die VIII. Novembris MDCXLIII. adoleſcens in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis Praedicatorum Ordinem ingreſſus, die vero XV. Aprilis MDCXLIV. adſcriptus Conventui S. Spiritus, illiuſque filiis adgregatus, mire in Schoiaſtica palaeſtra profecit. Eximia quippe claritate, parili ingenii ſubtilitate ſociata abſtruſiores ipſas quaeſtiones expendens, plures rexit in Ordine cathedras, magno ſibi primarii Theologi nomine parto; praecipue vero, & pluribus annis Regentis munus obivit in Collegio Montis Dei, ſummo propterea jure magiſterii laurea pro merito decoratus. Candorem animi ſcientiae mentis miro foedere ſociatum retinuit uſque ad mortem, quam Eccleſiae Sacramentis munitus die XXIII. Julii MDCCVIII. ſubiit grandaevus, & octogenario major. Typis mandavit *Opuſculum de ſcientia media in* 8. Neapoli 1699.

Opuſculum de Sacramento Ordinis in 8. Neapoli 1700.

XXXII.

F. Seraphinus Montorio Neapoli natus, ac in Neapolitano Conventu S. Mariae Sanitatis ad Clericalem habitum receptus, ibique inter illius domus filios adgregatus die XXVIII. Septembris MDCLXIV. eſto ab infantia luſcus, interiori tamen mentis oculo nitido nimium ac purgato clarus, moribus ac litteris haud ignobilis effulſit. Admirabili quidem ſimplicitate, nec inferiori caritate, atque devotione conſpicuus proximorum ſaluti ab ipſa ſua adoleſcentia ſedulam navavit operam: quare in excipiendis fidelium confeſſionibus, atque in habendis Quadrageſimali tempore ad Populum concionibus, necnon in peragendis per Urbem, & Regnum miſſionibus ad mortem uſque perſeveravit; & quamvis grandaevus ſurdaſter effectus, in cella tamen clauſus, caritatis officium libenter obibat, laicorum etiam confeſſiones,

 nes,

nes, ut poterat, excipiendo. Praedicator Generalis sui nativi Conventus pro merito institutus, demandatam sibi spartam haud segniter explevit, & ejusdem Conventus Prior electus, caritate summa subditos rexit. Regularem observantiam exactissime coluit: quare, senex esto, nec carnibus vescebatur, nec a Choro deerat unquam; & dum ad Matutinas laudes cum ceteris in Choro convenire nequibat infirmitate detentus, eadem hora, qua reliqui surgebant, e strato suo surgens in propria Cella devote eas persolvebat, & protracta ad Auroram usque oratione, ad Sacrificium Missae devote conficiendum se praeparans precibus ac meditationibus, summo mane in superiori Capella quotidie illud Domino immolabat, novisque additis in gratiarum actionem precibus, reliquum divini Officii pensum persolvebat: quo expleto confestim ad tabulam sedens ad prandii usque horam studiis vacabat, quod itidem repetebat vespere, & qui seriis sacrisque studiis semper incubuit, succisivis tamen horis ad animi levamen poëticis lucubrationibus operam dabat, Musarum contubernium familiare habens: quare nonnisi necessitate urgente, vel quum ad Communitatis exercitia, vel quum ad pietatis opera eundum erat, e Cella exibat; omniumque ad se animos convertebat, qui modeste nimium incedebat, sanctamque conversationem exacte custodiebat. Qua itidem ex caussa dum Viennam Austriae necessitate coactus adiit, ita Germanorum ad se animos traxit, dum etiam in privata domo habitabat, ut Augustissima aeque ac piissima Leopoldi Caesaris uxor eum a Sacris habere voluerit, eumque coluerit impense. Ad finem suae peregrinationis tandem devenit senex gloriosus, & qui pie vixerat ad decrepitam usque, pie etiam obdormivit in Domino die IV. Novembris MDCCXXIX. Annos natus LXXXII. In ejus memoriam PP. sui nativi Conventus effigiem tanti viri ad vivum depictam in tela post ejus funus adposuerunt Atrio Sacristiae ejusdem principis domus, subtus adjecto insigni Epitaphio uncialibus litteris in tabula scripto. Plura sui ingenii monumenta reliquit cum edita, tum MSS. Edita autem sunt

1. *Summa virtutum & vitiorum Nicolai Hanapi per ordinem Alphabeticum digesta & adaucta*. Neapoli apud Paulum Severinum 1711. in 8.

2. *Zodiaco di Maria, ovvero le dodeci Provincie del Regno di Na-*

Napoli, come tanti segni illustrate da questo sole per mezzo delle sue prodigiose immagini. Neapoli Typis Pauli Severini 1715. in 4. pp. 728.

3. *Riflessi storico Morali sopra tutte le festività della gloriosissima Vergine Madre di Dio*. Neapoli apud Paulum Severinum 1721. in 4. pp. 469.

Manuscripta vero quamplura exstant in Bibliotheca S. Mariae Sanitatis, praecipue laboriosum opus, quod praelo paraverat.

Indice di tutte le cose memorabili, che sono nel Diario Dominicano, ordine alphabetico digestum.

Similiter Poëmata quamplura cum Etrusco, tum Latino idiomate scripta, ex quibus aliqua jam prodierunt in vulgus alieno nomine inscripta: facile quippe fuit plagiario cuidam Laico nobis apprime noto e coecutientis nostri Seraphini cella surripere illa, sibique adsciscere typis ea mandando. Adsunt etiam ab eo scripta ad animimi solamen plures Sacrae Comediae

Edidit quoque opusculum, suppresso tamen sui nomine, cui titulus:

Esercizio spirituale per li quindici Martedì ad onore del glorioso Padre S. Domenico, con un breve ristretto della sua vita, ed anco dell'origine, e progressi della Congregatione de' Missionanti di S. Maria della Sanità, e della vita di Suor Angiola Greco ad istanza delli Fratelli di detta Missione. Neapoli apud Paulum Severino..

XXXIII.

F. Bernardus-Maria Vastalegna Beneventanus ex honesta familia nuperrime patritiis illius Civitatis adgregata ortus, die xxv. Septembris MDCLXXXIX. in Neapolitano S. Mariae Sanitatis Conventu ad Clericalem habitum receptus, atque eidem Conventui adfiliatus, Scholasticis studiis sedulam navavit operam, ac plurimis rectis Cathedris, & in Beneventano Seminario, & in Ordine, praecipue in Napolitano Collegio Montis Dei in munere Baccalaurei Ordinarii, & Regentis, promeritam Magisterii lauream fuit adeptus. A concionandi munere haud alienus, non sine gloria in praecipuis Italiae Ecclesiis Conciones ad Populum Quadragesimali tempore, aliosque aliis temporibus Sermones habuit, ac panegyricas orationes recitavit, atque per Urbem Missiones saepe peregit. Prior quoque institutus Monasterii SS. Petri, &

Sebastiani a consuetis sibi studiis non desistit. Edidit

Raccolta de'varj discorsi Neapoli 1742. Typis Nicolai Migliaccio in 8. pp. 428. Alia itidem id genus opera typographicis formis committere meditatur, qui in suo Nativo Conventu vivit.

XXXIV.

F. Joseph-Maria Cavaselice Salernitanus in Provincia Principatus Citerioris, nobili progenie ex Marchionibus S. Mancì ortus, ac ingenue educatus, parentibus licet invitis e paterna domo fugiens, Neapolitanum Conventum S.Mariae Sanitatis adiit, ubi Dominicanam induit togam, & eidem Conventui fuit adgregatus atque adfiliatus die VI. Aprilis MDCXCVII. Studiisque, emenso probationis curriculo, adplicitus eisdem operam navavit, & honestae conversationi pariter incumbens devotionem coluit, & pietatem servavit. Omnibus inferioribus cathedris rectis, in Romano examine probatus, & litteris patentibus ad Magisterium Studentium in Collegio Montis Dei peragendum distinctus, liberrime nuncium eis misit, ne a verbi Dei praedicatione desisteret. Collegio tamen Magistrorum Neapolitanae Civitatis hoc Anno MDCCXLIV. inter Participantes adgregatus, simul cum laurea fuit etiam munere Vice-Cancellarii in eadem Academia decoratus, quin etiam Neapolitanae Civitatis, ac Caroli Hispaniarum Infantis utriusque Siciliae Regis Theologus fuit institutus. Verbum Dei inpraetermisse ab ipsa sua adolescentia praedicavit, & nedum per Urbem Missiones, ac catecheses ad populum semper habuit, sicut & fidelium confessionibus excipiendis semper incubuit; verum & in primoribus utriusque Siciliae Civitatibus, atque Ecclesiis, praesertim Cathedralibus, Quadragesimali tempore Conciones, aliisque temporibus panegyricas Orationes triginta fere solidis annis habuit, Neapoli, videlicet, Messanae, Beneventi, Salerni, Barii, &c. quare ne adsumeretur in Priorem Conventuum contendit: esto, vel invitus, in Conventibus S.Mariae ab Arcu Miani, & S. Mariae ad Vicum de Argentio id munus aliquando exercuerit. In Rhetoricis autem apprime eruditus easdem institutiones pluries nostris alumnis expendit, & ad fidelium profectum aliqua sui ingenii monumenta typis mandavit.

1. *Il Santo fatto a immagine di Cristo, ovvero Meditazioni sopra la vita, e virtù del gran Patriarca S. Domenico* Neapoli apud Pau-

Paulum Severino MDCCXXII. in 12. pp. 197.

Altera Editio ibidem MDCCXXXVI. Apud Joſephum Severino, addita alia meditatione.

2. *La Novena, e i ſette Venerdì precedenti alla feſtività del gran Apoſtolo delle Spagne S. Vincenzo Ferreri, cioè diſcorſi Morali ſull' eroiche ſue virtù, e ſtrepitoſiſſimi miracoli coll' applicatione ne' Venerdì al Vangelo, &c.* Neapoli MDCCXLI. in 4.

Praelo jam parat aliud ſimilis argumenti opus, cui titulus:

Novena, e Panegirico in onor del gran Patriarca e commune Protettore S. Giuſeppe, quod fortaſſe in dies prodibit in vulgus.

XXXV.

F. Blaſius-Dominicus Criſcolo Neapolitanus ad Clericalem habitum in primore Conventu S. Mariae Sanitatis receptus, & pro eodem Conventu adceptatus in filium die XVIII. Junii MDCXCIX. honeſtis moribus, & haud mediocri ſcientia decorus, omnibus in Ordine cathedris rectis, etiam in ſupremo munere Regentis in Collegio Montis Dei; quinimmo extra Ordinem, nedum Saecularibus, verum & in principe Canonica S. Petri *ad Aram* dicta Lateranenſibus Clericis Canonicis expenſo Philoſophiae curſu, ad Magiſterii lauream promotus; ſed Collegio Neapolitano pridem quoque fuit adſcriptus, & inter Magiſtros de numero Participantium adnumeratus Decani munus exercuit. Inſtitutus quoque Prior Conventus SS. Roſarii Barrae per biennium munus exercuit. Inter Theologos quoque Excellentiſſimae Neapolitanae Civitatis cooptatus, ab Eminentiſſimo Cardinale Spinelli Archiepiſcopo Neapolitano Examinator Archiepiſcopalis ſuae Curiae fuit delectus. Nec Theologus, aut Philoſophus, verum Poëta, & Orator typis mandavit opus cui titulus: *Praeceptiones Rhetoricae in* V. *Libros diſpartitae, quibus ad integram ſolidamque Oratoriae rei notitiam comparandam nonnulli interponuntur tractatus*. Neapoli apud Stephanum Abbatem MDCCXXXIX. in 4.

Alia etiam praelo parat vir ſtudiis nimium deditus, qui nec a munere concionandi, nec ab excipiendis fidelium, & Sanctimonlalium confeſſionibus abſtinet, & hoc Anno MDCCXLIV Rectorem agit in Collegio Montis Dei.

Ad

Ad tertiam quoque hanc Classem spectant ii omnes,quos in priori, ac posteriori Libro laudavimus, quorum nomina heic percensere ad integrum syllabum conficiendum operae pretium est, etsi ab eis edita, aut manuscripta opera composita repetere non deceat, satisque sit ea alibi distincta consulere. Sunt enim ex priori Classe V.P.M.F Marcus Maffei de Marthenisio.

F. Ambrosius Pascha.
F. Hieronymus Celentano.
F. Ambrosius Guglielmini.
F. Cornelius Avitabile.
F. Raymundus Rocco.
F. Horatius Spacca.
F. Johannes Baptista de Deodatis.
F. Calixtus de Missanello.
F. Raymundus Kunrat.
Ex posteriori autem Classe sunt.
S. R. E. Cardinalis F. Thomas Ferrari.
F. Ambrosius de Cordova Episcopus Tropejensis.
F. Ignatius Fiume Episcopus Polymnianensis.
F. Raphaël Philamundus Episcopus Suessanus.
F. Pius-Thomas Milante Episcopus Stabiensis.

XXXVI.

Novissimum hunc paragraphum pariformiter exsolvam sicut & ceteros duorum praecedentium librorum: id certe exsecuturus, quod sub initium hujusce III. Libri spopondi; heinc eos dabo, qui jam fato cesserunt. Quamvis enim haud deessent superstites scientia inlustres, qui ex claritate doctrinae laudem promerentur, esto haud ediderint libros, ex quibus posteris eorum scientia in peculiari materiâ innotescere possit; tamen ne videar aliqua passione detentus, libenter eos pretermitto. Quos autem heic recenseo per brevem indiculum, reapse tales sunt, quorum acta & scientiam citra omnem dubietatis aleam Toppius,& Nicodemus latiori calamo commendassent.Ne autem in me aliquis censoriam virgam extendat, quam in laudatos Scriptores, fortasse severius, aliqui extenderunt, praesertim intemperantioris Critices vir Petrus Bayle,instar brevissimi syllabi eorum elenchum conflabo,potius ad memoriam,& incitamentum ad virtutem, quam ad complementum hujusce libri, praeci-

pue

pue quum plurimi ea reliquerint MSS. quae typis, nec sine laude, possent committi. Quo itidem ex momento, etsi plures alii superessent, iique jam fato functi, quos heic percensere possem, quia tamen ea non reliquerunt MSS. quae in aliis laudo, nec tam insignem praeripuerunt, dum vive rent, palmam, iis nec digito monstratis, selectiores dabo, eosque praesertim, qui adhuc impraesentiarum pluribus plene innotescunt. Duorum tamen summopere displicet ignorare nomen, quorum duo exstant MSS. volumina in Bibliotheca Neapolitani Conventus S. Mariae Sanitatis, eaque vere commendanda, unum nimirum *De Statu Religionis*, alterum *De convenientia propositionum Molinae cum Cassiano*, ambo quidem omnigena eruditione referta, sed ex diversitate styli, & characteris non unum eundemque, sed duplicem indicantia authorem. Sunt autem adjiciendi sequentes.

I. P. F. Benedictus Aurigemma Neapolitanus filius Conventus S. Mariae Sanitatis, S. Theologiae Baccalaureus, vir certe doctrina praestans dum viveret, & studiis nimium addictus, innumera pene reliquit MSS. eaque in plurimos tomos distributa, & adligata, continentque Conciones Quadragesimales, de Tempore, & de Sanctis, Quaestiones Theologicas in universam S. Thomae Summam. Commentarios in Aristotelis Philosophiam. Historiam & Ephemerides sui temporis. Servantur in Bibliotheca sui nativi Conventus, ubi diem complevit extremum mense Februarii Ann. MDCXLI.

II. P. M. F. Thomas Gallotti Battalliae (cujus terrae Dominus erat) in Daunia (vulgo *Provincia di Capitanata*) in nostro Regno natus, primum filius Conventus Ferrandinae, dum hic nostrae Congregationi erat adscriptus, deinde Neapolitani Conventus S. Mariae Sanitatis, cui ex paterno aere nimium profuit, Theologus nedum, verum & insignis Philosophus, in ea praesertim parte, quae Coelorum constructionem, situm, & influxus syderum pertingit, quare primi subsellii Astronomus simul & Astrologus sui temporis audiit, ab insignibus Parthenopaeis Philosophis commendatus, plures hujusce rei Tractatus MSS. reliquit, quorum unus dumtaxat Astronomicus *De sphaera* &c. inscriptus apud me exstat cedro revera dignus, & praelo. Apoplexiae morbo Anno, quo sibi eum ex suo horoscopo, seu ex suae geniturae directione sibi praedixit, correptus, ex

eoque

eoque post paucos menses ad mortem properans, viam universae carnis ingressus est in suo Conventu Sanitatis die XI. Augusti Ann. MDCXCVIII.

III. F. Johannes-Dominicus Cangiano Neapolitanus filius Conventus Principis S. Mariae Sanitatis, meis Parentibus, mihique concludenter sanguine junctus, cujus memoria revera in benedictione est, ceu ille, qui Angelica pene modestia & puritate enituit, paupertate maxima, & Regularis observantiae custodia singulari effulsit; sed studiis deditus singularem, praesertim ex dilucida claritate in extricandis difficilioribus Scholasticae Theologiae controversiis, sibi gloriam promeruit, heinc per omnes gradus ad Magistralem lauream pervenit. Jussu Magistri Ordinis integrum cursum Theologico-Moralem concinnavit, sed typis illum committere nequivit lethali morbo correptus dum Priorem ageret in Monasterio SS. Petri, & Sebastiani, e quo confestim, vel in ipso mortis agone, ad nativum suum Conventum transferri voluit, ut in nidulo suo, ut optabat, moreretur, sicut adcidit, non sine peculiaribus suae religiosissimae devotionis indiciis die 11. Octobris Anni MDCCII.

IV. F. Richardus Eano Onell Stuard Hibernas filius Conventus S. Spiritus ad Palatium, Regio sanguine satus, S. Theologiae Magister, nobilissimae juxta mentis ac indolis, qui pridem Salmanticae Cl.N.Godoy discipulus, deinde in Urbe nostra in praecipuis Cathedris Collegiorum S.Thomae Aquinatis, & Montis Dei, non sine gloria, plurimos docuit, fere semper memoriter deambulando dictans. In Polemicis Controversijs plene eruditus innumeros, ex eisque doctiores, heterodoxos, praesertim Anglos, ad Catholicam Fidem adduxit juxta votum Cl.N. Thomae Ovvard S. R. E. Cardinalis, qui nostrum Richardum adhuc Juvenem a Romano Pontifice Archiepiscopum Armachanum delectum, eis ab Insulis illum removit, eo videlicer ex momenro, ut in Polemicis apprime versatus catholicam fidem latius promoveret, ut in sua *Galleria Tom. II.* Jo: Michaël Cavalerius adnotavit. In Angliam septuagenarius jam a S.Congregatione de propaganda fide Apostolicus Missionarius directus plurimos Romanae communioni adgregavit, & senio confectus Annos natus XCII. Londini non sine devotionis, ac verae suae fidei indiciis glorioso fine quievit Anno partae Salutis Anno MDCCXXXII.

V. F.

V. F. Aſcanius Vicinanza Neapolitanus filius Conventus S. Spiritus ad Palatium in Scholaſticis apprime eruditus, a .. in Rhetoricis quam maxime verſatus, aliquando in Neapolitana ſtudiorum Univerſitate extraordinarius Polomicae Theologiae Profeſſor, unde adhuc exſtant ejus *Tractatus de Divinis Apoſtolicis & Ecclesiaſticis traditionibus* lato calamo, doctoque ſtylo conſcriptus: in Ordine autem plurium Annorum curriculo Philoſophiam ac Theologiam docuit, cujus MSS. hac de re erudite elaborata ſervantur. Prior fuit praeceteris ſui nativi Conventus S. Spiritus; ſed praematura morte fuit ereptus, dum Baccalaureum Ordinarium ageret in Studio Generali Pedemontii menſe Maji An. MDCCXXXII.

VI. F. Franciſcus M. Luciano Neapolitanus filius Conventus S. M. Sanitatis, meus quondam in Philoſophicis Magiſter, deinde in regimine ſtudiorum ſocius, ſingularis devotionis & modeſtiae cultor, Philoſophus nedum, verum Mathematicus, & Aſtronomus, & Geometra, Rhetor, & Poëta, Graece & Latine doctus, in omni Theologia eruditiſſimus, peculiares concinnavit cùm Philoſophicos, tum Theologicos Tractatus, eos praeſertim, qui ad Diſſertationes & controverſias de Gratia Salvatoris, & Polemicas diſputationes ſpectant. Viſitator Conventus S. Dominici de Suriano in Provincia Calabriae Principis: dum autem Priorem ageret in Neapolitano Monaſterio S. Catharinae Senenſis diem obiit extremum die v. Januarii MDCCXXXVI. Annos natus LVII. non ſine tamen omnium noſtrum moerore ex jactura tanti viri ad majora deſiderati, eſto jam Coelo maturi.

VII. P. M. F. Nicolaus Santoro Giojae in Cilento natus, filius Conventus Principis noſtrae Congregationis, ejuſdemque Congregationis ſemel & iterum Vicarius Generalis, ſummae devotionis & ſimplicitatis vir, plurimis emenſis, etiam in ſuperiori Cathedra, ſtudiorum curriculis in Collegiis Neapolitanis Montis Dei, & S. Thomae Aquinatis, plurima reliquit MSS. cum Philoſophica, tum Theologica ab eo improbo labore concinnata. Annos natus LXXXIV. in ſuo nativo Conventu pie deceſſit die v. Januarii MDCCXLI.

VIII. P. M. F. Dominicus Piſani Neapolitanus, qui e Conventu Sanitatis ad Collegium Montis Dei ſolitudinis amore ſuam tranſtulit adfiliationem, vir fuit maximae devotionis, ora-

tioni

tioni, & proximorum saluti addictus, sicut & studiis seriis, ex iisque nimium commendabilis: Novum & Vetus Testamentum memoriter retinens utriusque sensum plane callebat, praesertim historiam, chronologiam, & geographiam ad Scripturam Sacram spectantes, necnon in Ecclesiastica Historia ita erat versatus, ut summam ex eis studiis laudem promereretur. Post plurima, etiam primora, praesertim Vicarii Gen ralis nostrae Congregationis, obita munia, religiosam vitam commendabili morte coronavit in eodem Collegio die IX. Septembris MDCCXLII.

Hisce viris addere poteris quoque F. Josephum Nuvolo Conversum insignem Architectum, de quo supra est actum. P. F. Dominicum Basile de Cilento filium Neapolitani Conventus S. M. Sanitatis insignem ea in parte Philosophiae, quae Opticam Dioptricam & Catoptricam respicit, necnon in experimentali Philosophia, excellentissimum certe in efformandis microscopiis, telescopiis, speculis parabolicis, aliisque id genus, ut notum est Nostratibus, & Exteris, fato tandem functum in suo Conventu die V. Apriiis MDCCXV. & F. Azariam Conversum filium Conventus S. Mariae Sanitatis in efformondis e crystallo nativo, a se ad formam omnem redacto & perpolito, candelabris, aliisque ad Dei cultum deservientibus, insignem, ut videre est in Conventu principe Sanitatis ab eo efformata candelabra, calices, tabernaculum, &c. quae ab omnibus suspiciuntur.

Faxit tandem D. O. M. ut singuli ejusdem Congregationis alumni Majorum suorum exempla sectantes aemulentur charismata meliora, quibus insigniti sibi prosint, Ecclesiae gloriam, & Ordinis promoveant honorem: „ Hujus rei gratia (cum Apo- „ stolo Paulo) flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu „ Christi..... ut det eis secundum divitias Gloriae suae corrobo- „ rari per spiritum ejus in interiorem hominem „ : (*a*) Et ante conspectum ejusdem Divini supremi Numinis cernuus pronusque adorans, humillime deprecor cum Propheta (*b*) : „ Memor „ esto Domine Congregationis tuae, quam possedisti ab initio. „ Respice de Coelo, & vide, & visita vineam istam, & perfice „ eam, quam plantavit dextera tua „. (*c*) Tibi enim Domine Deus, ex quo omne bonum defluit, cedet „ honor & gloria „ in saecula saeculorum. Amen „ (*d*).

F I N I S.

(a) *Ad Ephesios III.14.16.*
(b) *Psalmo LXXIII.v.3.*
(c) *Psalm LXXIX.v.15.16.*
(d) *Ad Romanos XVI.v.27.*

